



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes De Actibus Humanis

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716

Dissertatio III. De voluntario libero potentiali, & actuali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39981



DISSERTATIO III.

DE

Voluntario libero potenciali & actuali.

ARTICULUS I.

De Potentiali libertate Hominis.

§. I.

An homo in statu naturæ lapsæ sit liber libertate Indifferentiæ? & an hac sit necessaria ad meritum, & demeritum?

447. **L**ibertas opponitur necessitati, hæc est triplex, prima est necessitas servitutis ortæ ex peccato, huic opponitur libertas gratiæ juxta illud *ad Rom. 6. Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ.* Secunda est necessitas servitutis, quam inducunt Corruptio naturæ lapsæ, & miseria vitæ; huic opponitur libertas gloriæ, de hac *ad Rom. 8.* dicitur: *Tunc, & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI.* Tertia necessitas est naturæ: & quidem duplex, una co-

actionis provenientis ab extrinseco, quam definit Maurus hîc *quest. 15. num. 7. ex S. August. lib. 5. de Civitate DEI. cap. 10. Quæ non est in potestate, sed etsi nolumus, efficit, quod potest, sicut est necessitas mortis: Cogimur enim mori, licet mori nolumus; libertas huic opposita, seu libertas à coactione est, quæ removet coactionem, & violentiam, id est, per quam ita possumus aliquid facere, vel omittere volendo, ut non necessitemur ad illa facienda, vel omittenda, à principio nobis extrinseco, tamen siant necessariò, fiunt tamen spon-*

spontè voluntariè ac libenter: hæc libertate volumus esse felices, & nolumus esse infelices: ejusmodi volitio, & nolitio est quidem necessaria, quia non possumus non velle esse felices, nec possumus velle esse infelices, ad neutrum tamen cogimur, quia sponte nostrâ, ac nulla coacti extrinsecâ violentiâ, sed potentia volitiva appetitu suo ad hoc rapiuntur.

Altera naturæ necessitas est necessitas determinationis ad unum ex extremis contrariè, aut contradictoriè oppositis, talem censetur habere voluntas, quando ex parte actûs primi proximi se tenet aliquod principium, nullam illi relinquens indifferentiam activam ad utrumque extremum ex oppositis, sed eam determinans determinatè ad unum: huic necessitati naturæ, ex diametro opponitur libertas indifferentiæ, hæc à voluntate non solum removet coactionè, ac violentiam, sed insuper ex parte principij liberi inducit potestatem, hoc est Dominium, & indifferentiam in actum, & vocatur libertas naturæ: de hac solâ tractant Philosophi, & Theologi, nobisque sermo est in præsentia: de libertate verò à servitute peccati, & à servitute corruptionis disputant soli Theologi de libero arbitrio, & gratiâ.

448. Necessitas ad nostrum institutum est alia antecedens, alia consequens. Antecedens est, quæ ante omnem actum liberum trahit inevitabiliter voluntatem ad determinatam contradictionis partem, sic à visione beatificâ trahitur voluntas ad amorem DEI. Consequens est, quæ præsupponit usum liberum, à quo profluit: sic supposito,

R. P. Karob, Diss.

quòd quis liberè se determinaverit ad amorem DEI, necessariò illum amat, hæc non impedit libertatem in actu primo, quam inquirimus, sed necessariò illam præsupponit. Libertas à necessitate est duplex; physica, & moralis: Moralis est, quæ est Capax meriti, vel demeriti, hanc aliqui vocant libertatem virtuales, & æquivalentiæ id est, talem, vi cujus voluntas ita liberè ponit actum, ut non solum formaliter, sed etiam æquivalenter potuerit illam omittere, nempe eliciendo actum ei oppositum, aut omittendo non solum hunc, sed etiam omnem alium illi æquivalentem: unde caret hæc libertate moralis, qui, ex duobus actibus in valore æqualibus honestis, aut inhonestis debet alterutrum, clicere, quia etsi sit formaliter liber ad quemvis illorum, cum locò cujusvis illorum valeat alterum ponere, non tamen est liber æquivalenter, quia quemcunque formaliter ponat, necessariò etiam ponit æquivalenter alium formaliter omissum, quia formaliter omissus æquivalenter continetur in formaliter posito. Et ideo fit, ut actus ejusmodi sint honesti, neuter illorum potest formaliter illi imputari, seu esse laudabilis; si autem sint inhonesti, propter nullum sit vituperabilis: sicut nemo diceret eum esse liberalem ac laude dignum, qui ante omnem suam libertatem unum ex duobus aureis in valore æqualibus debet mihi unum dare, estò sit formaliter liber, ut hunc præ alio formaliter det.

449. Libertatem physicam non omnes æqualiter explicant: Ripalda enim vocat, quæ provenit etiam non liberè libertate à necessitate antecedente: hæc libertate concedit, quòd Pater, & Fi-

Uu

lius

lius spirent Spiritum S. Consentit Scot. quare hi tunc confundunt liberum cum voluntario, uti etiam S. Th. *de potentia quest. 10. art. 2.* dicens DEUM liberè se amare, id est, voluntariè.

Alij physicam libertatem ponunt in omnibus ad agendum requisitis in utramque partem, ita ut si voluntas vellet omnes suas vires impendere, posset in actum exire, verùm tali difficultate antecedente premitur, ut nunquam sit cum eâ difficultate in actum proditura, eò quòd tantam difficultatem non physicè, sed moraliter sit impossibile superare. E contra moralis libertas ab illis vocatur, quæ cum iisdem ad agendum requisitis non premitur ab agendo, vel non agendo voluntatem absterrente. Hæc explicatio non displicet.

Alij communiùs per physicam libertatem intelligunt sufficiens Dominium in actum, ita ut possit poni, aut omitti actus sine omni respectu ad honestatem, & malitiam, id est, absque sufficiente consideratione ad meritum, & demeritum; hanc libertatem concedunt infantibus, amentibus, Somniantibus, ita Hurt. *de Anima D. 15. num. 161.* Mol. Vasq. quia, inquirunt, in his potest esse cogitatio representativa boni, & mali sensibilis sine hoc, quòd representetur idem bonum, vel malum conforme aut disforme naturæ rationali, unde juxta hos datur aliquando libertas physica sine morali, quod tamen alij negant; quia ut detur libertas moralis, non est opus rationem boni aut mali expressè, & explicitè comparare ad dictamen rationis, aliàs plebs vix unquam operaretur liberè libertate morali,

quia vix unquam facit hanc comparationem, proinde si hi Doctores hoc exigunt ad libertatem moralem illis, non acquiesco cum Raymundo *Discipl. Moral. dist. 3. quest. 2. art. 4. num. 161.* danto hanc rationem, quòd, ut quis habeat dominium in suum actum, seu plenam libertatem, necesse est, ut habeat plenum usum rationis, at quicumque habet plenum usum rationis, ejus Intellectus potest illi dictare principia moralia prima, eaque applicare ad materias singulares propositas, quibus applicatis videri potest, an actio circa hujusmodi res sit honesta, vel turpis, quam quia dormientes, infantes, & amentes habere non possunt, sequitur nec eos habere posse libertatem physicam, seu naturalem; non ergo datur libertas physica uti à citatis Doctoribus exponitur sine morali.

Confirmatur quod libertas non solum pendeat à qualitate cognitionis, sed etiam à certâ organorum potissimum sensus Communis dispositione: quia ergo in somno multum est Impeditus sensus Communis, & sopitus propter vapores, fit, ut non sit libertas physica propter defectum organicæ dispositionis.

Quòd si Salomon in somno meruerit à Deo sapientiam, proinde fuerit liber, uti sentit Soar. *lib. 2. de Orat. cap. 19. num. 17.* id factum est miraculose, divinitus enim posse dari exercitium liberum in somniantibus, infantibus &c. admitto, quia DEUS potest roborare eorum Intellectum ita, ut absque sensu communi perfectè operetur; aut potest sensum communem de se impeditum dirigere, ut exerceat suas functiones, quantum sufficit ad libertatem, uno ho-

horam modo Salomon poterat esse liber in somno, quod tamen factum fuisse negant plures cum Pineda lib. 3. de Salom. s. 8. num. 6.

Verum si detur, siue non detur libertas physica, seu naturalis proximè explicata sine morali, ad nostrum præsens institutum proinde est; utraque enim opponitur necessitati antecedenti, seu causæ efficienti inevitabiliter operanti, quæ ex recepta sententia definiti solet, quod sit illa, qua positus omnibus ad agendum requisitis non potest non agere. De quâ fusè cit. Raynaud. à num. 64.

Nomine liberi arbitrij intelligitur facultas permanens, quâ indifferenter bene, aut malè uti possumus: non ergo est aliquis actus, quia hic non est permanens, nec est habitus, quia isto vel tantum benè vel tantum malè utimur.

Quæres igitur primò quid sit liberum arbitrium, siue libertas à necessitate in actu primo, siue quod idem est libertas indifferentiæ, cujus mentio facta est num. 447. Respondeo bene definiiri, quod sit facultas, siue potentia, qua positus omnibus ad agendum requisitis in sensu eorum composito potest operari vel non operari. Ita Schola Societatis contra Thomist. admittentes physicam prædeterminationem, in cujus sensu composito nequit voluntas conjungere omissionem actûs, ad quem est prædeterminata.

Nomine requisitorum intelliguntur illa per quæ potentia constituitur proximè in esse potentis agere, & non agere. Ubi ly potest agere, & non agere signifi-

cat potestatem dominativam, per quam potest se determinare ad agendum, vel non agendum, unde duæ sunt necessariæ conditiones ad potentiam liberam. Prima est, ut positus omnibus prærequisitis, per quæ constituitur proximè potens agere, non sit determinata ad agendum, sed indifferens ad agendum, aut non agendum. Secunda est ut potentia ita sit indifferens, ut possit se ipsam determinare ad partem utramlibet contradictionis.

Ex defectu primæ Conditionis ignis non calefacit liberè, quia ignis positus requisitis constituentibus cum in esse proximè potentis calefacere est determinatus ad unum, nempe ad calefaciendum. Econtra homo dum peccat, habet potentiam liberam peccandi, quia datus requisitis, per quæ constituitur proximè potens peccare, non est determinatus ad unum, nempe ad peccatum, sed indifferens etiam ad non peccandum.

Ex defectu secundæ Conditionis peccandi habitus, licet sit habitus potentie liberæ, non tamen est liber, seu non est potentia libera; quia etsi positus omnibus ad peccandum requisitis sit indifferens, ut concurrat, vel non concurrat ad peccatum, nequit tamen se determinare, sed debet determinari ab ipso peccante, qui cum possit uti, aut non uti habitu, potest se & habitum determinare. Idem dic de alijs habitibus in viæ requisitis, e. g. de habitu Charitatis, qui est indifferens, ut eliciatur, aut non eliciatur actus Charitatis, &c.

Probatur definitio; causa necessaria, & libera sibi diametraliter opponuntur, ergo eorum prædicata differentialia

talia etiam ex diametro debent sibi opponi; sed causa necessaria in actu primo constituitur formaliter per hoc quod positus omnibus ad agendum requisitis non possit non agere, ergo causa libera in actu primo proximo constituitur formaliter per hoc, quod stantibus omnibus ad agendum praequisitis possit agere vel non agere.

Confirmatur. Ad libertatem non sufficit, quod in sensu diviso alicujus praequisiti, V. S. remotâ qualitate physice præterminante sit facultas expedita ad non agendum, sic enim etiam causa necessaria essent formaliter libera. E. g. potentia visiva, quia etiam hæc sublatâ specie impressa albedinis, potest ommittere, imò necessariò omittit visionem albedinis.

451. Quæres secundò, an defactò detur in homine liberum arbitrium, & libertas indifferentiæ proximè explicata, atque adedò defactò homo sit præditus non solâ libertate à coactione, sed etiam à necessitate antecedente. Affirmativa opponitur pluribus veterum, & Recentiorum Hæreticorum erroribus; quorum primus fuit eorum, qui dicebant hominem necessitari à stellarum influxu, ut oppositum velle non possit. Secundus est Calvinii, Lutheri, &c. docentium libertatem indifferentiæ sublatam esse per impulsum divinum extrinsecum, cui voluntas creata contravenire non possit. Limitavit postea Lutherus, in visitatione Saxonicâ, Melancthon. Chemnitius, & Communitè alij Sectarij ad actus Spirituales, nam ad actiones civiles, & externas ad communem victum, & huma-

nam Societatem spectantes admiserunt libertatem à necessitate.

Tertius fuit Michaëlis Bay Doctoris Lovaniensis viri Catholici (quem hodie sequuntur Jansenistæ sic dicti ex Jansenio Episcopo Iprensi inhaerente vestigijs Bay) qui 1579. Gregorio XIII. Propositiones 79. ex Libris ejusdem extractas damnanti, ac censuranti acquievit, humiliterque paruit. Tam hic, quam Jansenius concesserunt libertatem indifferentiæ pro statu naturæ integræ, proinde in Adamo ante lapsum, hanc autem per lapsum esse amissam in omnibus posteris, hisque inesse solam libertatem à coactione, eamque sufficere ad actus Meritorios, & Demeritorios; *nihil aliud*, inquit Jansenius, *tom. 3. lib. 6. c. 12. Col. 658. libero generaliter repugnat, quàm necessitatis illius præmentis, cogensque violentia*: Unde asserit actui amoris, quo DEUS amat se ipsum, satis libertatis ad meritum inesse, si esset capax meriti. Defactò ergò juxta Jansenium, ejusque sequaces voluntas humana non habet indifferentiam ad bonum, & malum, sed necessitatur necessitate intrinsecâ, accidentali tamen, sive tali, quæ possit abesse à Creatura, nunc autem illud intrinsecum necessitans semper illi inesse, istud autem intrinsecum juxta Jansenistas partem est in corpore, nempe concupiscentia nata ex peccato Originali, partim in animâ, scilicet gratia impediens concupiscentiam trahentem ad malum & necessitans ad bonum. Si autem concupiscentia, sive hujus delectatio terrena pravalet, tunc voluntas necessariò amplectitur malum, sive peccatum. Verbo dicit hæc pestilentissima

lentissima secta, quòd in omnibus necessariò sequatur voluntas, vel delectationem terrenam concupiscentiæ ad malum, vel cœlestem à DEO infusam ad bonum, prout altera alteram vincit; ut si delectatio Cœlestis, in quâ reponit gratiam Christi Medicinalem sit, intenta e.g. ut tria, & terrena, ut duo, voluntas necessariò amet bonum, si è contrà, amet malum ob victricem delectationem. Vide num. 405.

Hanc opinionem damnavit Innocentius X. & Alexand. VII. in Propositione tertia ex quinque excerptis ex Janseniano volumine ita Sonante: *Ad merendum, aut demerendum, in statu natura lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Vide num. 447. contra hos igitur tres errores.

452. Respondeo affirmativè ad quæsitum secundum, probatur primò ex Script. 1. ad Corinth. 3. *qui statuit in sorde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens sue voluntatis:* Et Ecclesiast. 31. *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere malum, & non fecit.*

Probatur secundò ex Trid. Sess. 6. c. 4. Anathematizante eum, qui dixerit: *Liberum hominis arbitrium à DEO motum, excitatum, DEO excitanti, atque vocanti non posse dissentire, si velit.*

Probatur tertiò ex Aug. tuius doctrinam infallibilem censent Jansenista *Lib. de vera Relig. c. 14. Nec hoc quidem dubitandum video, habere antecedens liberum voluntatis arbitrium,*

tales enim servos suos meliores esse DEUS judicavit, si ei servient liberaliter, quod nullo modo fieri possit, si non voluntate sed necessitate servient: Et *Lib. de Spirit. & Litt. c. 34. Consentire vocationi DEI, vel ab eâ dissensire propriæ voluntatis est,* Rufinus. *Lib. de duabus animabus c. 12. dicere reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, summa est iniquitatis & insanie.*

Idem *Lib. 3. de liber. arbit. c. 1. si naturâ, aut necessitate motus existit culpabilis esse nullo modo potest.* Item ex omnibus, quas habuit cum Pelagio Monacho Anglo concertationibus, evincitur libertas indifferentiæ. Pelagius assererat libertatem indifferentiæ, & hinc concludebat potentiam implendi præcepta, ac exinde saltem suppositâ promissione divinâ consequendi vitam æternam proprijs viribus sine Gratiâ Divinâ; Augustinus hunc errorem impugnans nunquam negavit antecedens, sed consequentiam, ergo agnovit libertatem indifferentiæ cum necessitate gratiæ, si enim non cognovisset, debuisset negare fundamentum erroris, seu antecedens, quod ab eo nunquam negatum constat ex *lib. 2. de Nupt. & Concupisc. c. 3.* Ubi Juliano Pelagiano asserenti negari liberum arbitrium à requirentibus gratiam respondet; *Non est ita, ut loqueris, quicumque ista dixisti, non est ita, multum vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium.*



§. II.

Libertas indifferentiæ probatur etiam ratione, ac refutatione Jansenisticorum Principiorum.

453. **P**robatur igitur tertio, ratione libertas Indifferentiæ necessaria ad merendum, & demerendum: si negetur libertas indifferentiæ, ea quæ omnium consensu censentur prudenter fieri arguerentur imprudentiæ, nam consensu omnium me ex industria lædenti prudenter indignor, sed si negetur libertas indifferentiæ, arguerer imprudentiæ illi indignando non minùs, ac meritò imprudentiæ arguor, si indignor me lædenti casualiter, ac ignoranter, quia negata libertate indifferentiæ, pari uterque necessitate me læderet. Unde talis indignabundus foret similis illi, qui à binis equis calce percussus indignaretur uni præ alio.

Recurrere ad voluntatem Adami, in qua omnes peccavimus, & ex qua fomes peccati in nos profluxit, proinde peccata, quæ à nobis propria voluntate admittuntur esse continuationem illius primi delicti, est perinde, ac nos etiam per cæcitatem, amentiam &c. peccati reatum incurrere, quia etiam hæc derivantur à primo illo peccato. Vide *num. 405.* ubi contra Jansenistas ostendi ignorantiam invincibilem juris naturalis excusare à formali peccato.

454. Jansenistæ ut occurrant argumentis contra se allatis tria excogitarunt

effugia apud P. Dominicum Viva ad propositionem 3. Jansen. damnatam ab Innoc. X. Alex. VII. ac Clemen. XI. 1705. 17. Kalendaris Aug. Bulla. *Vineam Domini.*

Primum effugium est quòd etiamnum voluntas nostra sit indifferens *indifferentia potentia* sita in hoc, quòd voluntatis potentia sit flexibilis, & mutabilis, quatenus modò ad volendum facile inflectimur; non sit autem indifferens indifferentiæ actionis, quia quòd in particulari volumus, id necessariò volumus. Contrà est, quòd responsio hæc sit pura larva libertatis, re ipsa autem nulla libertas major ea, quam non negarunt Machiachi, Calvinus, Wiclephus, in sua propos 27. à Conc. Constant. & à Martino V. Censurata, in qua assererat: *omnia de necessitate absoluta evenire*; quid enim aliud est voluntatem non esse indifferentem *indifferentiæ actionis*, quàm omnem actionem necessariam, atque adeò concatenatâ serie voluntatem necessariò volui de necessitate unius actûs ad alium, quin ex parte voluntatis sit potestas in oppositum actum, sed illa Cætena inévitable, utpote non sita in optione libera voluntatis trahitur de actu ad actum, sed ubi nulla est potestas in oppositum actum, ibi nulla est indifferentia potentia, sed mera larva, dum obtruditur

ditur pro indifferentia potentia mutabilitas, ac flexibilitas voluntatis, hanc enim nullus Hæreticorum negavit.

455. Effugium secundum exprimit Jansenius *lib. 6. de Gratia Salvat. c. 35. Scholastici, quando Synodum Tridentinam dicentem, voluntatem posse dissentire si velit, putant & rectè putant significari humani arbitrij libertatem. Sic etiam Intelligunt eadem prorsus ratione libertatem indicari, si diceretur voluntas posse velle, si velit posse non velle si nolit.* Ex quibus manifestè patet, quòd ex mente Jansenij Tridentinum attribuens libertatem homini, ac potentiam dissentendi gratia, si velit homo, sit eo modo liber, sicut si diceretur de Beato necessitato ad amorem DEI, quòd possit non amare DEUM, si velit, estò non possit id velle. Unde verborum illorum Trid. *Liberum arbitrium hominis DEO excitanti, atque vocanti posse dissentire, si velit* sensus erit: *rejici posse gratiam, quatenus eam abjiceremus, si vellemus, non posse verò rejici, quoniam velle hoc non possumus.*

Verissimum est, quòd abjiceremus illam, si inesset nobis volitio abjiciens, at hæc est impossibilis pro tempore, pro quo delectatio Cœlestis, seu gratia victrix, necessitat ad consensum, ergo absolute pro eo tempore non est liberum arbitrium: sicuti verissimum est claudum posse ambulare, dummodò ambulet, seu si ambulet. Verùm quid juvat conditionata ambulandi potentia, si fractis cruribus non potest magis ambulare,

quàm assumptis alis in Cœlum avolare, seu si conditio, sub qua asseritur potentia, non sit purificabilis ab absolute impotente. Quarè libertas hæc Jansenistica longè distat à libertate definita ut fidei articulus à Trid. ac ab August. propugnata citatis locis, & alibi, ut *lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. Si laboriosum est omnia mandare memoria, hoc brevissimum tene: quaecunque est ista causa voluntatis si non ei resisti potest sine peccato ei ceditur; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest.*

456. Effugium tertium, quod Posteritas Adæ careat nunc formali, ac proximâ indifferentiâ in se ad bonum, & malum, hanc tamen habuerit in causâ, nempe in peccato originali, ac in libertate peccantis Adæ, nunc autem in se habeat radicalem ac remotam, vi cujus si necessitas nunc impellens ad bonum auferretur, amplecteretur malum, aut è contrâ, quod sufficit ad vim merendi, ac demerendi.

Contrâ est primò, quòd talem libertatem etiam concesserint Calvinus, Wiclephus &c. & tamen sunt damnati in hoc ut Hæretici.

Contrâ est secundò, quòd sublata necessitate ad bonum, voluntas amplecteretur malum, in principijs Jansenij aliud non sit, quàm quòd voluntas soluta ab una catena adigente ad bonum stringeretur novâ adigente eandem ad malum: quo sensu etiam Beati sunt indifferentes ad peccandum. Hæc porrò indifferentia non est activa, sed passiva meriti, ac demeriti incapax sine activâ definitâ *nn.*

450. hujus enim necessitatem Scriptura,

Con-

Concilia, Patres, & Scholastici exigunt ad merendum, & demerendum, inter quos Theologorum Princeps D. Th. 9. 6. de Malo art. unic. ita disserit: *Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate moveatur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur: hæc autem opinio est hæretica, tollit enim, rationem meriti, & demeriti in humanis actionibus: non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis si ex necessitate agit, quod vitare non possit.*

457. Opponunt Jansenistæ. Primò actibus in nostrâ potestate constitutis meremur, & demeremur, sic enim sumus illorum Domini, proinde sunt nobis liberi, sed actus liberi à coactione, seu spontanei facti etiam sine indifferentia activa sunt in nostrâ potestate constituti juxta Aug. lib. 2. de lib. arb. cap. 3. *illud inquit, est in nostra potestate, quod cum volumus, facimus, vel quod facimus si volumus, Ergo.* Respondeo majorem subsistere de actibus factis ex propriâ determinatione voluntatis citra necessitatem antecedentem, de quâ num. 448.

Opponunt secundò, libertatem DEI, quæ etsi sit perfectissima, attamen non est indifferens ad agendum, & non agendum, aliàs posset revocare, quod semel decrevit. Confirmatur ex Aug.


lib. de Nat. & Grat. cap. 43. DEUS exercet liberè suam justitiam, licet nequeat agere injustè, ergo sufficit ad libertatem immunitas à Coactione.

Respondeo DEUM in sua aternitate indivisibili priusquam quidquam decrevit agere, pro priori naturâ fuisse indifferentem, ut decernat actionem, aut non actionem, suppositâ determinatione ad actionem e.g. productivam mundi, hoc decretum est irretractabile, necessitate solùm Consequente, cum DEUS ratione suæ constantiæ, ac immutabilitatis semel decretum nequeat retractare.

Ad Confirmationem Respondeo DEUM justitiam suam exercere liberè libertate contradictionis (siquidem ita ponit liberè actum Justitiæ, ut possit eum omittere) secus libertate Contrarietatis, aliàs esset liber ad actum injustitiæ, consequenter posset peccare.

Opponunt tertio, Diabolum, qui etsi necessariò semper malè agat, attamen peccat, ergo ad demerendum non est necessaria libertas à necessitate. Argumentum est Calvinii apud Bellarm. lib. 5. de Grat. & lib. arb. cap. 14. Respondeo Diabolum malè agere non physica, sed morali necessitate, & ideo peccare, si physicè necessitaretur, aliqui apud Soarez lib. 8. de Angel. c. 10. negant eum peccare peccato formali, seu imputabili, sed duntaxat peccato merè materiali.

* * *





§. III.

Cui potentiae hominis insit libertas indifferentiae necessaria ad meritum, & demeritum? ubi de voluntatis determinatione ad Electionem.

458. **I**ndifferentia alia est passiva, alia activa: prior positus omnibus ad patiendum requisitis potest purè pati, & non pati: hæc quâ talis nequit esse libera libertate indifferentia, uti constat ex hujus definitione sitâ in eo, quod positus omnibus ad agendum requisitis potentia libera possit agere, & non agere, ex propriâ determinatione, seu se ipsam determinando ad actionem, è contra potentia purè passiva, etsi queat esse indifferens positus omnibus ad agendum requisitis ad pati & non pati, nequit tamen quâ talis determinare se ad pati, & non pati.

Indifferentia activa est duplex; una contrarietatis, altera contradictionis: contrarietatis indifferentia est ad actus duos oppositos contrariè, nempe unum bonum, alterum malum, e.g. ad amorem, & odium DEI, & ideo necesse est præcedere iudicium indifferenter proponens oppositas contrarias rationes, nempe boni, & mali. Indifferentia contradictionis est ad actus sibi contradictoriè oppositos v.g. amorem DEI, & hujus omissionem, & ideo debet præire iudicium proponens rationes contradictoriè oppositas, aut proponens bonum cum de-

R. P. Karch. Diss.

fectu alicujus boni saltem relucente in ipso exercitio actûs.

Judicium istud prævium ad utramque libertatem dicitur esse objectivè indifferens, quia objectum quod proponit, non necessitat potentiam liberam, sed relinquit illi indifferentiam se determinandi. De hac igitur indifferentia activa quaestio est, cui potentia hominis insit.

De tribus potentijs est controversia, nempe de voluntate, de intellectu, & appetitu sensitivo: in hoc esse aliqualem libertatem, sequitur ex sententia Cajetani admittentis eum posse venialiter peccare. Durandus attribuit intellectui libertatem Exercitij, & quidem prius & principalius, quàm voluntati, soli tamen huic concedit libertatem contrarietatis. Aureolus autem tam intellectum, quàm voluntatem esse potentias formaliter liberas cum mutuo invicem nexu docuit. Dixi *formaliter*, quia intellectum esse radicaliter potentiam liberam, est certum, est enim Radix, & Principium Judicij objectivè indifferentis proponentis objectum sub ratione boni aut mali, aut utriusque, quo stante est in potestate voluntatis se ipsam determinare,

Xx

ac

ac applicare, ad hunc actum præ hujus omissione, aut contrario.

459. Respondeo ad quæstionem soli appetitui rationali, seu voluntati inest formaliter libertas potentia, seu actus primi, ita cæteri Theologi cum S. Th. 1. p. q. 83. Art. 3. & 4. Conformer Principijs Fidei. Probatum primò quòd scriptura explicet libertatem relatè ad voluntatem, *Ecclesiast. 15. Si volueris mandata servare conservabunt te, Apposuit tibi aquam & ignem, ad quam volueris porrigere manum tuam.* in quem loctum August. *Lib. de Grat. & lib. Arb. c. 2. Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium, & ad Cor. 7. potestatem habens suæ voluntatis,* quo loco ibi Augustinus utitur ad asserendum liberum arbitrium.

Secundò Trid. *Ses. 6. c. 5.* loquens de homine, qui cooperatur liberè gratiæ: *Quippè qui, inquit, illam nempe gratiam abjicere potest. Neque tamen sine grætia DEI movere se ad Justitiam coram illo liberà suâ voluntate potest.*

Tertiò nullum peccatum committi potest sine consensu voluntatis, scriptura enim, quoties meminit peccati, hoc imputat voluntati, sed si intellectus esset potentia formaliter libera ante consensum voluntatis posset esse peccatum, nam ante consensum voluntatis intellectus proponit indifferenter, objectum malum pro priori ad voluntatem, uti fatetur Durandus, ergo ad peccatum nihil

tunc desideratur, nisi libera tendentià in objectum malum, seu rationi disforme, sed juxta Durandum intellectus independenter à voluntate, ac pro priori ad hanc est potentia formaliter libera, ergo pro priori ad voluntatem potest se determinare ad objectum malum, proinde peccare. Argumentum hoc demonstrat intellectum non posse adæquatam libertatem, & quidem nec de possibili contra Arriag. *de anima D. 8. n. 43.* si enim esset possibilis, defacto noster esset talis, sed defacto noster non est talis juxta Arriag. contra Durandum, ergo Major probatur, defacto in nostro intellectu est indifferentia circa objecta probabilia.

Quod autem nec inadequatè intellectus sit formaliter liber probatur: ponere actum liberum est saltem exercitè illum præligere præ omissione ejus, & actus oppositi, sed præligere est liberè velle, ergo ponere actum liberum est liberè velle, ergo liberè velle, est actus solius voluntatis.

Discurfus hic est S. Th. *cit. Art. 3. in Corp. Proprium inquit, liberi Arbitrij est electio; ex hoc enim liberi Arbitrij esse dicimur, quòd possimus unum recipere alio recusato, quod est eligere, & idè naturam liberi Arbitrij ex electione considerare oportet. Ad electionem autem concurrat aliquid ex parte cognitivæ virtutis, & aliquid ex parte appetitivæ. Ex parte cognitivæ virtutis requiritur Consilium, per quod dijudicatur, quid sit alteri præferen-*

ferendum; ex parte autem appetitiva requiritur, quod appetendo accipitur, quod per Consilium dijudicatur.

460. Probatur demum de appetitu sensitivo. Radix libertatis est cognitio proponens objectum indifferenter ad amandum, vel non amandum, vel ad odio habendum, quæ deest in appetitu sensitivo, cognitio enim phantastica præluens appetitui sensitivo representat, vel solam sensibilem amabilitatem, seu delectabilitatem, aut solam sensibilem odibilitatem cum determinatione ad amorem amabilitatis, vel ad odium odibilitatis, ut patet in brutis. In homine autem ex eo, quod cogitatio phantastica conjuncta sit intellectui, nullam contrahit majorem vim; & dignitatem ad movendum appetitum sensitivum quæ talem, seu ut operativum actuum materialium. Argumenta oppositarum sententiarum fusâ proponit Amic. 10. 3. de Actib. Hum. D. 6. eaque dissolvit à num. 25.

Ea duntaxat probant, quod intellectus sit libertas non formalis, sed radicalis, intellectus enim facem præfert, habetque se instar Consiliarij, qui præcisè se habet per modum dirigentis stante integrâ libertate pœnes Regem, seu voluntatem in rem adductam in Consilium, dirigit autem voluntatem proponendo isti objectum indifferenter, quæ indifferentia est Radix libertatis formalis secururæ in voluntate.

461. Dices primò omne liberum, est cognoscens, sicut omne cognoscens est vivens, sed cognoscens secundum id, se-

cundum quod cognoscit, vivit; ergo omne liberum, secundum quod est liberum est cognoscens. Secundò si intellectus non est formaliter liber, prudentia non est virtus moralis, quia est habitus intellectus partialiter concurrens ad actus intellectus suos eliciendos.

Tertiò. Circa objecta probabilia intellectus est indifferens ad affirmandum, vel negandum, manetque ambiguus, ergo videtur habere libertatem ad assensum, & dissensum. Quartò homo non elevatus non est liber ad actus supernaturales, divinitus tamen est liber, ergo potentia naturaliter non libera potest supernaturaliter esse libera; ergo potentia non libera potest divinitus dari libertas, idque patet in homine, qui non potest omnes collectivè tentationes vincere, gratiâ tamen divinâ adjutus potest. Quintò voluntas nequit unum præ alio eligere, nisi intellectus practico Judicio, proponat illud esse præ alio eligendum, dato autem tali practico Judicio, voluntas necessariò illud præeligit, quod salvari non posset, nisi intellectus priùs sit formaliter liber, ad practicè judicandum unum esse eligendum præ alio.

Respondeo ad primum omne liberum realiter, & identicè est cognoscens in sententia identificante realiter animæ potentias ejusdem, in Thomistarum verò opinione easdem distinguente ab animâ, ac inter se, liberum formaliter non est formaliter cognoscens, sed præsuppositivè, voluntas enim præsupponit cognitionem in intellectu realiter, aut in mea sententia formaliter distincto à voluntate, & hoc sufficit.

XX 2

Ad

Ad secundum dico prudentiam non esse intrinsecè virtutem moralem, est igitur in tantum virtus moralis, in quantum est auriga, seu directrix virtutum moralium spectantium ad voluntatem.

Ad tertium dico quod intellectus hæreat suspensus cum indifferentiâ, non id fit, quasi haberet potestatem in actum, quo verò consentit, falsòque dissentit, sed id fit, ob imperfectionem apprehensionis non sufficienter proponens veritatem aut falsitatem, idcirco opus est voluntate applicante, & determinante intellectum ad assensum.

Ad quartum, quod est Arriag. Respondeo, quòd homo non elevatus ad actus supernaturales naturaliter nec est liber, nec necessitatus defectu cognitionis supernaturalis, hujus autem divinitus fit capax: voluntas actus supernaturales potest elicere, vel liberè, si cognitio sit indifferentis, vel necessariò si cognitio determinet, seu necessiter voluntatem, uti necessitat visio beatifica, ad actus supernaturales amoris divini &c. Si elicit liberè, nihil voluntas immutatur, est enim de se libera, si elicit necessariò, id oritur à cognitione tali cogente voluntatem, quæ coactio non est contra naturam voluntatis, siquidem hæc aliquos saltem actus naturaliter, seu necessariò elicit, nempe motus primò primos, voluntas enim est potentia necessaria, & libera pro variatione cognitionis prælucentis.

Ad tentationes dico hominem non posse viribus ordinarijs liberè vincere omnes collectivè, at bene distributivè, & quidem dum gratia divinâ homo roboratus collectivè vincit, Deus, non

dat homini libertatem simpliciter, sed facit, ne liberè succumbat illi tentationi, cui alias liberè succubisset, si efficaci gratiâ non prævenerit à Deo.

462. Ad quintum tangitur controversia, quæ quaritur, unde proveniat determinatio voluntatis constituta in actu primo proximo ad unum extremum (ad quæ est indifferentis) præ alio. Determinatio quoad specificationem fit ab intellectu Amicus hic *D. 6. num. 102.* siquidem hæc determinatio consistit in eo, ut voluntas nequeat hunc, aut illud actum in specie præ alio elicere, nisi sub oppositis rationibus, seu boni, & mali objectum sit representatum voluntati per intellectum, cum representatio à nullo fiat, nisi per cognitionem. Ergo controversia est de sola determinatione quoad exercitium, utrum hoc iudicium practicum proponens executionem operationis ita voluntatem determinet, ut nequeat velle oppositum.

Bellarmin. *Lib. 3. de Grav. & lib. Arbit. c. 5.* & Thomista apud Soarez *Metaphysica Disputatione 19. S. 6. à num. 1.* Affirmant vocantes illud iudicium imperium (quo hæc, & nunc intellectus pensatis omnibus definitam sententiam proferat, hoc esse homini eligendum) vel impulsum, qui explicatur hæc voce, *fac hoc*, efficiat. Ratio hujus sententiæ ab Amic. *num. 103.* sic proponitur: nequit voluntas quidquam velle sine prævio iudicio rationis, ergo iudicium est vel determinatum, vel indeterminatum, si hoc secundum etiam voluntas manebit indeterminata, si est determinatum, etiam voluntas erit determinata, sed ultimum iudicium practicum est

est omnino determinatum, concludit enim hic, & nunc pensatis omnibus hoc esse eligendum, hoc autem posito iudicio practico voluntas necessariò efficit, quod probatur, quia si voluntas contra hoc practicum iudicium posset operari, eligeret aliquid non iudicatum proinde daretur alicujus electio sine prævio iudicio.

463. E contra Soarez à *num.* 7. propugnat communioem non agnoscantem necessitatem ejusmodi iudicij practici omnino determinantis voluntatem, quia aut tale iudicium est simpliciter necessarium, aut liberum, si simpliciter necessarium, tunc intellectus, vel ex vi solius objecti, mediique evidentis, aut causæ alterius necessitantis intellectu, tale format iudicium; & tunc tollitur libertatis usus, siquidem nec iudicium formatur liberè, nec voluntas eo posito liberè exercetur, sed necessariò. Si verò illud iudicium est liberum; quæro, atrum sit liberum elicitive ex vi intellectus, vel imperative à voluntate: primum nequit dici, alias intellectus esset potentia formaliter libera *contra num.* 459. si autem liberè impeteretur à voluntate, sequitur, aut non omnem actum voluntatis elici ex determinatione præfati iudicij practici, quod negant Adversarij, aut proceditur in infinitum: nam inquiri, utrum actus voluntatis imperans Intellectui iudicium practicum, seu determinans intellectum ad practicè iudicandum hic, & nunc esse hoc eligendum, de pendeat ab alio iudicio intellectu, & de hoc redit quæstio utrum sit necessarium, vel liberum &c.

Ad argumentum ex Amico propositum Respondet Soarez à *num.* 10. vo-

luntatem nihil velle sine prævio rationis iudicio, si sensus sit, quòd nisi prius intellectus iudicet, qualem habeat bonitatem, utilitatem aut convenientiam medium eligendum, & ipsa electio, voluntas nequeat quidquam velle, antecedens est verum; falsum autem, si sensus sit, quòd nihil possit velle, nisi prius iudicet absolutè, & omnino hic, & nunc hoc esse eligendum, tunc enim sensus est, quòd hic, & nunc omnibus pensatis sub aliquà ratione sit necessarium hoc eligere, quale iudicium necessariò præcedere ante omnem electionem nulla ratio probat, tollitque electionis libertatem.

Quare ut voluntas liberè velit, sufficit iudicium iudicans hoc, illudque medium esse utile, & pensatis omnibus esse aptum ut eligi possit: nec ejusmodi iudicium, quo Intellectus iudicat, quale sit objectum, quamque habeat amabilitatem, aut convenientiam, potest dici indeterminatum, sed est determinatum, potestque esse multiplex, ut contingit, quando Intellectus de pluribus objectis iudicat, qualia sint; prout fit in libertate contrarietatis, vel potest dici determinatum de objecto Indifferenti, sive non necessitante voluntatem, quale iudicium sufficit, ut voluntas pro sua nativa libertate possit se determinare ad sequendum tale iudicium.

464. Ex his Respondetur ad Consequens argumenti ex Amico propositi *num.* 462. iudicium esse determinatum, de objecto tamen non determinante, sed indifferenti, & ideo voluntas non est ab eo determinata, se ipsam tamen potest determinare, idque non solum, quando

do iudicia sunt de medijs inæqualibus, sed etiam æqualibus, unde eo casu non necessariò hæret voluntas Suspensa: dat illustre huius exemplum Soarez n. 13. In voluntate Divina, quæ ex infinitismundis huic æqualibus liberè se determinavit ad hunc præ alijs. Idem num. 11. ex eadem divina voluntate ostendit falsitatem opinionis oppositæ recurrentis pro determinatione voluntatis ad eligendum liberè ad istud *prædicum iudicium, hoc hic, & nunc est mihi omnino eligendum.* DEUS enim ab æterno liberè eligit quæcunque defactò creavit, sine prævio iudicio, quo ante electionem iudicasset, hæc, vel illa sunt omnino eligenda, aut amanda, tale enim iudicium est falsum in rigore, innuit enim quòd talia objecta extra DEUM sint ipsi aliquantulum necessaria: solum ergo præcedit iudicium, quòd talia objecta sint convenientia, aut eligibilia.

Quòd si unicum adsit iudicium iudicans convenientiam, ac dignitatem, ut appetatur, & quantum potest practicè invitet voluntatem ad sui appetitum, adhuc voluntas potest illud non amare consequenter esse libera quoad exercitium.

Nunc redeo ad objectionem quintam num. 461. propositam negando maiorem, talis enim iudicij nulla est necessitas, sed sufficit iudicium proponens utilitatem, ac aptitudinem medijs, huiusque convenientiam cum fine; tale enim est de objecto indifferente, ac relinquit voluntati indifferentiã; proponit tamen objectum cum sufficientia, ut voluntas se ipsam determinare possit ad extremum contradictorium, aut contrarium, aut omissionem utriusque. Et sic manet vera communis sententia ad libertatem ex parte intellectus exigens cognitionem indifferentem, sive talem, quæ proponat in objecto bonum, & malum, uti fit in libertate contrarietatis; vel bonum finitum, aut infinitum, sed imperfectè, ac obscurè, ut fit in libertate contradictionis, vel bonum in objecto, & malum in actu, sic etsi nihil mali appareat in DEO, potest tamen amor eius suspendi ob malitiam, quæ apparet in continuata ejus elicitioe, nempe ob defatigationem. Ratio quia practicum iudicium Thomisticum dictans voluntati *facto hoc, aut aut elige hanc partem,* tollit libertatem per num. 462.

& seqq.



S. IV.

De libertatis activæ dependentia, ab usu rationis: ubi de hujus varietate: & incidenter, an cum originali stat peccatum veniale solum, & quâ pœnâ hoc foret punibile?

465. Cùm libertas dependeat necessariò ab usu rationis, & pro hujus variatione necesse sit variari libertatem, ita ut si usus rationis sit imperfectus, etiam libertas sit imperfecta, & insufficientis ad culpam lethalem, ac meritum condignum vitâ aternâ, ut infra patebit suo loco de actibus meritorijs; si autem sit perfectus, ac plenus, pariter libertas sit perfecta, & plena, utilissima sane erit præsentis tituli discussio.

Ex ejus enim decisione patebit, quodnam sit subjectum remotum, proximum enim subjectum juxta superiorem §. est sola voluntas, remotum verò est homo, in quonam autem statu, & ætate debeat esse homo, ut sit subjectum aptum voluntatis proximè Indifferentis, seu liberæ, hæc decidendum est.

Nomine usûs rationis intelligitur id, quod ex parte Intellectûs præsupponitur, ut possit exerceri liberum arbitrium, ac haberi formalis libertas.

Advertendum insuper, quod liber, seu plenus, ac solutus rationis usus stare non possit cum ligata libertate contra Perer. *lib. de Observat. Somniorum quest. 9.* putantem, quòd libertas ultra plenum rationis usum addat plenam om-

nium sensuum, ac potentiarum solutionem. Hinc etsi fateatur in somno communiter dari plenum rationis usum, negat tamen dari libertatem.

Contra quem arguitur, quòd sensuum solutio, id est, quòd sensus sint expediti ad suas functiones, nihil conducit ad libertatem, si ijs non solutis habeatur plenus usûs rationis, ab hoc enim immediatè libertas dependet, estquè connectio inter rationis usum, & libertatis exercitium ergo libertas nequit esse ligata, seu impedita, dum usûs rationis est perfectè expeditus.

466. Quæres igitur primò, quid sit usus rationis, sive status ille, in quo homo dicitur pollere usu rationis. Respondeo primò contra Angestum *lib. 1. de Virtut. cap. 9. documento 10.* status usûs rationis non est ille, in quo homo habet aliquos actus Intellectûs, & consequenter voluntatis. Ratio, quia etiam amentes dormientes, & ebrij habent aliquos actus tum Intellectûs, tum voluntatis, quin sint in statu usûs rationis.

Respondeo secundò, ad usum rationis non est satis hominem ratiocinari contra Salas. *1. 2. tract. 1. D. 5. nu. 13.*

Ra-

Ratiò, quòd etiam ebrij, amentes, & somniantes ratiocinentur non rarò, & tamen carent usu rationis, ut nec venialiter peccare possint, ita Vasq. 1. 2. D. 35. num. 17. & D. 249. cap. 1. testaturque Raynaud. se habere experito Mathematico, qui in somno de sua Mathesi plura demonstrativè concludenti si adstantes negarent consequentiam, optimè confirmabat, & ad sua principia revocabat conclusionem: ad quod est sufficiens pura terminorum ac præmissarum apprehensio inferens puram consequentis apprehensionem, ut puravit cit. Salat.

Respondeo Tertio cum Raynaud. *Discipl. Moral. Diss. 2. num. 166.* hominem tunc plenè, ac perfectè esse in statu usus rationis, quando exercere potest perfectos, ac operosissimos discursus; id autem contingit, quando sensus Internus ita est expeditus, ut per ordinatam Phantasmatum formationem sine confusione, ac imperturbatè potest intellectui deservire, qualiter in somno &c. nequit præstare, quia tunc sensus Internus vaporum copia obscuratus nequit perfectè fungi suo munere, ergò nec intellectus utpote in via dependens ab usu Phantasmatum in suis operationibus, præsertim difficilioribus potest expeditiorem aciem mentis, quæ languet in pueritiâ, amentia, ebrietate, & somno.

Contra hoc ob stare videtur, quòd Intellectus in somno saepe judicet moralem turpitudinem actus, & ex illa iudicata resistat voluntas consentire, uti constat experientia in timoratis conscientijs, sic D. Xaverius dormiens turpi delectationi resistit, non ex alio motivo, quàm ex

honestata opposita, quam vigilans amabat, aut ex turpitudine delectationis Carnalis, quam horrebat.

Respondeo cum Raynaudo in dormientibus, aut non dari Judicium de objecti indifferentia, aut si datur de parte utraque contrarietatis, nempe de honesto, & inhonesto, illud est valde languidum, ac non sufficiens, ut possit deliberatè procedi; mens enim è torpore, quo in somno premitur, invalido risu se attollens, illico concidit, relabiturque in pristinum statum, uti experientia docet, & ideo est signum defuisse eam mentis firmitatem, quæ poscitur, ut singula congruè possint pensari, ac circa ea deliberatè procedi.

Ex his conficitur definitio status usus rationis, quod sit *capacitas ferendi iudicium constans, & firmum*, id est, humano modo deliberatum de objecti bonitate, & malitia oppositi, aut de objecti bonitate propter se, & meliorum propter illud. Quapropter immeritò, ac non satis cautè Joan. Pont. D. 63. num. 52. revocat in dubium, an dormientes sufficiente libertate ad peccandum polleant.

467. Quæres 2. Quo tempore primum illucescat usus rationis, & an totus simul consummetur? Respondeo ad primum et si communis sit opinio usum rationis illucescere, & exinde libertatem incipere sub completum ætatis septennium, Sanch. lib. 1. de Matr. D. 16. num. 2. id tamen non contingere æquivaliter in omnibus, sed pro diverso Corporis dispositione, tardiùs in his, in alijs verò citiùs oritur, ut quotidie experimur, præsertim in Regionibus calidioribus v. g. apud

apud Italos, Hispanos, è contra tardius in rigidioribus: sicut fructus terræ longiore tempore egent, ut maturecant in his, quàm in illis.

Circa secundum Vasquez *Citatus D. 149. cap. 1.* cum Victoria putat totum simul consummari, proinde usus rationis sufficiens ad veniale dari non possit, quin hoc ipso etiam detur sufficiens ad mortale, favet aperte S. Th. 1. 2. *quæst. 89. art. 6. in Corp.* asserens parvulum excusari à peccato veniali, quoties defectu usus rationis excusatur à mortali. Ratio Victoriæ est quod peccata mortalia, ut homicidium, perjurium &c. sint notiora, quàm venialia, ut verbum otiosum, mendacium &c. ergo si detur sufficiens usus rationis ad peccandum venialiter, eo ipso, & à fortiori datur sufficiens ad peccandum mortaliter.

Ratio Vasq. quòd si homo potest sufficienter deliberare, seu consultare de culpâ ex veniali ex objecto, non potest non etiam judicare de mortali, dum ejus materia occurrit. Fatetur tamen, quòd non possit simul judicare de omni mortali, & de omni veniali, quia quædam ex venialibus sunt notiora, quàm aliqua mortalia, & vicissim quædam mortalia, sunt notiora venialibus.

Respondeo ad secundum negativè contra Citatos: probatur usus rationis non consistit in indivisibili, est enim in uno dimidiatus, & imperfectus, ut in semisopitis, & in iisdem plenè vigilantibus plenus, ac perfectus; ergo etiam in eodem homine propter ætatem fieri potest, ut citius illucescat usus rationis imperfectus, quàm perfectus propter insuffi-

R. P. Karch. Diff.

cientè organorum dispositionem, quæ oritur ex copiâ humorû, qui cerebro inatant.

Respondeo ad primum argumentum contrariæ sententiæ Negando consequentiam, quia quòd mortalia, seu materiæ graves sint notiores, quàm veniales, sequitur solùm facilius in illis, quàm in his apprehendi, ac judicari malitiam, quæ sufficiat, ad levem culpam, secus quòd facilius in gravibus tota gravitas objecti proponatur, aut æquè facilè, ac levitas; sicut habenti oculos hebetes, facilius objicitur mons eminus positus, quàm collis in eadem distantia situs, at inde non rectè concluditur, quod videat is montem tantum, quantus est, & re ipsa apparet oculis acutis. Ex hoc.

Respondeo ad secundum distinguendo secundam partem antecedentis, non potest non etiam judicare de mortali secundum totam suam gravitatem, dum occurrit ejus materia nego antecedens, secundum id, quantum sufficit ad culpam venialem concedo antecedens.

468. Quæres tertio, an possit homo pollere pleno usu rationis circa unam materiam moralem, estò non polleat circa aliam.

Victoria apud Sanch. *D. 8. nu. 22* negat Sanch. verò *num. 23.* experienciâ, ratione, ac autoritate medicorum inductus affirmat, cum quo Respondeo affirmativè, quia potest quis esse liber in una materia morali, & non in alia, imò etiam in eadem respectu diversorum actuum, sic actus primò primi sunt nobis necessarij, at secundò primi etiam circa objectum idem sunt liberi: & Christus necessariò dependentèr à visione beatificamavit DEUM, liberè verò dependentèr à sci-

Y Y

à sci-

à scientia infusa, ergo potest idem homo in una materia morali habere libertatem, quin habeat in alia, sed deliret; potest enim ex vehemēti imaginatione provenire delirium, ita ut ab ea dependeat in fieri, & conservari in certa materia, quin adsit similis imaginatio in alia materia aut potest quis ita in certa materia esse affectus, ut quoties de ea cogitat, talis affectus ita afficiat imaginativam, sicut afficit vehemens passio eripiens usum rationis, si enim ex turpi cogitatione & inde consequente appetitu in corpore excitatur alteratio, eadem verò comprimitur, dum evanescit cogitatio, cur non ex cogitatione de certo objecto oriri queat mentis everfio absque eo, quod evertatur circa alia objecta defectu dispositionis. P. Sanch. est testis oculatus de pastore, hunc in reliquis omnibus habuisse usum rationis, scivisseque mysteria Trinitatis, ac Incarnationis pro captu suo, & quantum erat necessarium pro usu Sacramentorum, quæ frequentabar, in hoc uno delinabat, quod timeret, nè cogeretur monachum induere: unde rogabat sibi dari Chirographum quo assicuraretur se nunquam compellendum ad monachatum.

Dices cum Victoria: principia universalialia moralia sunt æquè applicabilia circa omnes materias morales, ergo si est quis dispositus ad applicanda ea in una materia morali, etiam est dispositus in alia quavis.

Respondeo nego consequentiam, cujus falsitatem monstrat exemplum proximè allatum, & alia plura apud Sanch. nam pro diversitate impressæ imaginationis, diversa oritur alteratio, consequen-

ter dispositio, atque adeò contingit, licet ductum, aut Consilium peritorum sequatur in una materia, non in alijs consultandis.

Concluditur ex præmissis discursu eundem hominem posse mereri, aut demereri in una materia, quin sit capax meriti, ac demeriti in alia, ita Sanch. n. 24.

469. In fūno cum communi Theologorum, inter quos Vasq. cap. 2. contra Vict oriam aliósque Thomistas. Amicum de Actib. Hum. D. 23. num. 257, ex S. Th. 1. 2. quæst. 89. art. 6. posse esse peccatum veniale solum cum originali, quia per num. 467. prius potest illucescere usus rationis sufficiens ad veniale, antequam illucescat, sufficiens ad mortale; quid vetat in tali homine infidelitate primum peccatum veniale solum cum originali.

Respondebis cum Thomistis duo obstare Primum est, quod homo primo tempore, seu instanti usuratio, nis habeat præceptum se convertendi ad finem ultimum, nempe ad DEUM per actum amoris; si se convertit delectabile originale ante omne veniale, si se non convertit peccat mortaliter, proinde nunquam stabit veniale solum cum originali. Alterum est, quod decedens in originali cum solo veniali nullum haberet locum suæ pœnæ; non Infernum, quia hic est pro mortalibus personalibus; non Purgatorium, quia in eo recipiuntur soli amici DEI; non Limbum utpote destinatum pro solo originali; non finem Abrahamæ, nam hic erat locus pro solis iustis purgatis à suis peccatis ante passionem Christi.

Respondeo ad primum tale præceptum

ceptum gratis asseri, esseque contra praxim fidelium non instituentium pueros de ejus obligatione, estque ejus observantia moraliter impossibilis sine extraordinario lumine tunc perfectè cognoscendi, quomodo DEUS sit super omnia diligendus, nullusque cognoscit primum instans usus rationis suæ Pal. 1. p. tract. 6. D. 1. p. 4. num. 2. Sanch. lib. 2. Decal. cap. 35. num. 7. deinde et si discursu paulatim procedente deliberent circa nonnullas res, quarum fere per se est nota turpitudine, aut valde conspicua honestas, attamen adhuc non sunt capaces usus quoad alias altioris indaginis, & difficultis intellectus, quæ potius aliorum discursu, quàm proprio ingenio addiscunt, uti observat Didacus Hurt. in Reformatâ Theolog. ad proposit. 6. Innoc. XI. Dissert. 5. c. 3. n. 18.

Urgetur: conversio, ut sit justificativa, ac sufficienter proponatur per actum fidei summa DEI amabilitas, & agnoscatur amandi obligatio cum efficaci proposito nunquam eum offendendi, adhuc non sufficit, ut sit obligatio amandi absque ullâ dilatione, quia cum sit præceptum affirmativum, non obligat semper pro semper, & sæpe præcepta affirmativa anticipato cognoscuntur, antequàm obligent, pro tunc determinatè; sic die Festo evigilantes cognoscimus præceptum audiendi missam, & tamen pro tunc non obligat.

Quare merito censet laudatus Didacus num. 21. Vasq. num. 6. & 10. verius non posse assignari positivè tempus fixum pro amore eliciendo sub principium usus rationis, sed potius negativè, nempe ut diu non differatur amor divinus,

postquàm sufficienter est cognita obligatio amandi DEUM eo modo, quo intermedio vitæ tempore in longum non est differendus.

470. Respondeo ad secundum Thomistarum argumentum conformiter dictis num. 398. ad DEI providentiam spectare, ne ullus decedat in originali cum solo veniali, Vasq. cap. 2. in fin. Ubi etiam non reprobatur responsum Gabrielis concedentis in casu, quo fieret decessus in originali cum solo veniali levi aliqua pœna sensus aternum iri punitum. Idem sentit Amic. de Actib. Hum. D. 23. num. 275. assignans pro tali mortuo Limbum, ita ut hic sit communis decedentibus cum solo originali, aut in originali conjuncto cum veniali solo, sicut infernus est communis decessuris cum solis mortalibus, & decessuris cum venialibus conjunctis mortali.

Verùm secunda hæc Gabrielis responsio displicet, cum probabilius sit peccata venialia etiam conjuncta cum mortalibus non puniri etiam per accidens pœne aternæ: hujus dedi rationem in tract. de Peccatis num. 223. quod venialia ex natura sua stent cum DEI amicitia, consequenter sit contra eorum naturam inducere aternam separationem à DEO.

Quod Adversarij dicant non esse contra naturam peccati venialis levi pœna in aeternum castigari per accidens, nempe propter conjunctionem cum mortali irremissio. Contra est, quod veniale ex conjunctione cum mortali non evadat gravius, cum veniale justis, & peccatoris ceteris paribus in nullo differant, ergo

nec conjunctum potest æternum puniri.]

Instabis quamdiu manet reatus culpæ, manet reatus pœnæ, hic enim est proprietas consequens ad reatum culpæ; essentia autem nequit stare sine proprietatibus; sed reatus culpæ venialis conjunctus originali est æternus, ergo etiam reatus pœnæ.

Respondeo tripliciter primò transmissa majori, nego minorem, etsi enim in inferno nulla dabilis sit satisfactio, hæc enim habet simul rationem meriti, dabilis tamen est satisfactio, quæ in eo differt à satisfactione, quod hæc debeat esse voluntaria, aut amicabiliter, bonoque animo acceptari, neutrum poscit satisfactio, sed sufficit physica tolerantia pœnæ, unde reus etiam iniquissimo animo sustinens pœnam satisfactitur, quia habetur finis satisfactio sine patientia tolerantia, nam ejus finis est, ut vel Reus, vel alius à peccato absterreatur, aut iniquitas Rei dolore castigetur, sed ad nullum horum finem est necessaria voluntaria acceptatio.

Data condigna satisfactio pro reatu culpæ venialis, cessat etiam ipse reatus culpæ, ut patet à paritate venialium, cum quibus decedunt justis, quæ post condignam satisfactio cessant in esse culpæ in purgatorio.

Respondeo secundò distinguendo majorem, quamdiu manet reatus culpæ, manet reatus pœnæ solvendæ aut solutæ concedo majorem, manet reatus pœnæ semper solvendæ nego majorem.

Ratio, quòd semper maneat reatus, seu dignitas ad pœnam proportionatam culpæ, quamdiu hæc durat, non est au-

tem pœna culpæ levi proportionata æterna, seu nova, & nova semper infligenda. Et minore transmissa, nego consequentiam.

Juxta hanc responsionem per totam æternitatem manet dignitas ad pœnam temporalem infligendam, estò hæc per totam æternitatem nequeat infligi: sicut DEUS semper manet potens producere hesternam durationem essentialiter affixam diei hesternæ, estò nequeat eam producere pro quovis momento æternitatis.

Respondeo tertio negando majorem ad probationem qua dicitur, quod reatus pœnæ sit proprietas culpæ velut suæ essentia, essentia autem non sterit sine proprietatibus. Ad hoc dico id esse verum de passionibus, seu proprietatibus physicis, secus de moralibus ut patet in matrimonio, cujus proprietas est obligatio reddendi debitum, & tamen hæc obligatio potest cessare manente essentia matrimonij, ut si alter conjux adulteretur, vel si conjuges liberè mutuam faciant cessionem juris petendi debitum, unde ejusmodi proprietates morales sunt conditionatæ, ut in casu proximo, nisi adulterium fiat, aut conjux cedat juri suo, adhuc modum reatus pœnæ est conditionalis passio culpæ venialis, nempe quamdiu non fuerit persoluta pœna, ea verò persoluta cessat reatus pœnæ.


Pallavicinus sequens sententiam Sorarij. Vasq. &c. contra Scotistas quorum est mea sententia exposita proximis tribus responsis.

Opponit etiam paritatem à bono opere factò à justo, quod etsi minimum sit, evadit dignum præmio æterno; ergo

ergo etiam peccatum omne veniale commissum ab inimico DEI fit dignum pœna aeterna.

Respondeo esse disparitatem, quòd omnis actus bonus iusti sit opus amici DEI, atque aded est dignum præmio, quod correspondet amico DEI, quale est solum augmentum gratiæ, & conse-

quenter, gloriæ aeternæ. Econtrà non omne opus malum est opus formaliter inimici, aliàs etiam veniale faceret subiectum formaliter inimicum, augeterque inimicitiam, quod repugnat, cum solius mortalis sit mereri inimicitiam, aut hujus incrementum.



§. V.

An libertas sit perfectio naturæ rationalis, & quænam sint ejus impedimenta? ubi incidenter opportunè quædam de statu naturæ, & gratiæ inferuntur.

471. **L**iberum sumitur dupliciter; uno modo in actu primo: & sic spectat ad naturalem perfectionem voluntatis, hæc enim perfectio convenit illi necessariò, ac naturaliter, seu natura sua; siquidem est voluntati necessaria potentia libera libertate etiam à necessitate per explanata à num. 447. Contra Jansenistas eamque formaliter inesse tali voluntati efficaciter monstravi num. 459. Alio modo sumitur liberum in actu secundo, seu pro libertate operationis, hoc modo liberum non est voluntatis perfectio naturalis, seu illi necessaria, sed est perfectio moralis, quia voluntati convenit, non ut est naturale sed ut morale agens, Amic. tom. 3. de Actib. Hum. D. 12. num. 16. idcirco voluntas habet duplicem modum operandi; unum naturalem, quo perficitur intra ordinem naturæ; alium liberum, quo perficitur

intra ordinem moris, & sic voluntas fundat duplex genus perfectionis; unum naturalis, alterum moralis, sicut intellectus qua speculativus fundat perfectionem naturalem, quæ verò practicus & directivus, est fundamentum perfectionis moralis.

Naturalis voluntatis modus operandi fit cum determinatione ad unam partem, hic modus operandi rationalis naturæ, inquit Vasq. 1. 2. D. 23. nu. 22. est communis cum brutis, ratione cujus dicitur voluntas appetere quædam ut natura, id est, naturaliter, S. Th. 1. 2. quest. 10. art. 1. Alter modus voluntatis operandi est cum indifferentiâ, seu cum libertate à necessitate, hic modus operandi est necessarius, ut opera nostra sint meritoria, & demeritoria, ut evicimus à num. 447. proinde est fundamentum totius generis moris, sine hac liber-

libertate nullus actus potest esse moraliter bonus, aut malus.

Iste modus operandi est proprius naturæ rationali, utpote non communis naturalibus agentibus; proprius, inquam, quia talis soli naturæ rationali comparatione aliquorum objectorum convenire potest, ut mox patebit.

Libertas operationis, seu in actu secundo est perfectio operantis non absolute, sed comparative, nimirum operari liberè, seu cum indifferentia non est major perfectio, quàm voluntatem necessariò operari respectu cujuscunque objecti, sed respectu alicujus, sic respectu objectorum creatorum, in quibus potest apprehendi ratio boni, & ratio mali, est major perfectio, quod voluntas talia possit ita amare, ut possit etiam non amare. Econtrà si objectum perfectissimum carens omni malo proponatur perfecta cognitione, qualis est visio DEI, non spectat ad perfectionem voluntatis liberè amare DEUM, & non amare, sed major est perfectio voluntatis necessariò amare DEUM sic propositum cognitione clara, ac perfecta cum tunc appareat omnis, & perfecta ratio boni econtra quòd in via liberè ametur, oritur ex imperfecta cognitione, quæ ita representatur obscure, ut in eo, aut in amore ejus possit apparere ratio mali, idcirco bonitas DEI imperfectè proposita relinquit voluntati indifferentiam ad amorem, & non amorem, & ad odium.

472. Expediã primâ parte §. transeo ad secundam, in qua inquiritur de quibusdam, an libertatem impediãt. Quæres primò, an suppositio causalis,

sive antecedens tollat libertatem: nomine autem suppositionis causalis, & antecedentis intelligitur illa, quæ independenter à voluntate nostra posita necessariò ponitur actio voluntatis: quod dupliciter potest accidere. Primò si DEUS se ipso nihil imprimendo voluntati hanc ad operandum abripiat, hæc necessitas antecedens est increata. Secundo si DEUS infundat voluntati aliquod principium creatum necessitans ineluctabiliter voluntatem ad operandum, & hæc est necessitas creata. Ex his colligitur, quòd suppositio causalis, & antecedens sit idem, ac necessitans antecedens explicata *num. 448.*

Respondeo affirmativè contra Calvinistas, & Lutheranos qui *per n. 451.* contendunt voluntatem nostram in omni actione, sive bona, sive mala per divinum impulsum extrinsecum voluntati determinari, quin hæc possit resistere. Item est contra Thomistas volentes ad omnem operationem nostram præimmitti, seu imprimi voluntati creata ante omnem actum voluntati creata liberum qualitatem aliquam, seu motionem talem, quæ nunquam suo effectu carere possit, est enim cum hoc infallibiliter, ac essentialiter connexa.

Probatum ex dictis libertas activæ indifferentiæ est facultas, sive potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis in sensu eorundem composito potest operari, vel non operari *per num. 450.* sed hanc tollit omnis suppositio causalis, seu antecedens proximè influens tam increata, quàm creata, major est ibi probata & à *num. 552.* ad *num. 458.* ex Script. Trid. & S. Aug. demonstrata, novaque

væque ratione ac refutatione Jansenistarum solidè confirmata.

Confirmatur. Quando ad aliquod antecedens in nostra potestate non constitutum sequitur necessariò consequens, hoc est extra nostram libertatem, unde D. Anselmus, & Aug. vocant necessitatem antecedentem quæ facit rem, consequentem verò, quam res facit, consequitur enim ad suppositionem consequentem, id est, talem, quæ pendet ex usu nostræ libertatis, sed suppositio causalis, tam Calvinistica, quam Thomistica est antecedens in nostra potestate non constitutum, & ad hoc necessario sequitur operatio bona, aut mala; ergo hæc est extra nostram libertatem. Hoc argumentum fusè deduxi in *tr. de Gratia à num. 93.*

Respondent aliqui argumentum concludere de suppositione causali antecedente per modum necessarij, non verò si supponatur per modum lenientis, conformantis, & dulciter prædeterminantis, qualem asserunt Thomista, secus Calvinista. Contra est suppositio antecedens proximè influens in actum ita trahit voluntatem, ut ei nequeat resistere, quòd non est lenire voluntatem, sed abripere in consensum.

473. Quæres secundo an prædeterminatio divina efficax actus boni adimat libertatem voluntati respectu actus prædeterminati. Respondeo negativè; est autem prædeterminatio efficax divinum Decretum, quo DEUS, postquam vidit e. g. Petrum consensurum Auxilio Divino de se indifferenti ad consensum, & dissensum, ac excitanti eundem ad consensum, si daretur Petro, absolutè decernit consensum

Petri conditionatè prævisum sub auxilio præfato, antequam ille consensus Petri sit absolutè futurus, ac ex hujus intentione etiam absolutè decernit suum illud auxilium de se indifferens, sed hoc absolutum Decretum non tollit voluntati libertatem ad consensum absolutè prædeterminatum, quia hoc decretum non est suppositio causalis, & antecedens proximè, ac independens ab omni nostro libero consensu, nam dependet à scientiâ conditionatâ, per quam vidit DEUS Petrum liberè consensurum tali Auxilio, si id DEUS daret Petro dependet à scientiâ conditionatâ, hæc dependet à libero consensu Petri conditionatè prævisum sub eodem Auxilio; ergo sicut Petri consensus potuit à Petro impediri per liberum dissensum sub eodem Auxilio, ita potuit impediri scientiâ illa conditionata consequenter etiam prædeterminatio absoluta efficax consensus Petri.

Hæc conditionata existentia intermediat inter scientiam simplicis intelligentiæ, quâ videt DEUS necessariò possibilitatem præfati Auxilij, & possibilitatem consensus Petri sub eodem Auxilio, & inter scientiam visionis, quâ absolutè videt contingentem existentiam absolutam tum Auxilij, tum consensus Petri, hinc dicitur media inter utramque, consequens quidem ad simplicem intelligentiam, antecedens verò ad visionem non tempore, sed signo aliquo pro eodem tamen tempore.

Prædeterminatio efficax asserita à Doctoribus universis Societatis est etiam antecedens actum prædeterminatum absolutè futurum, siquidem est causa, cur ponantur absolutè omnia principia in actum præ-

prædefinitum influxura, non tamen est causalis immediatè, ac proximè influens in actum prædefinitum, sed conditio applicans causas proximas illius; idcirco non impedit libertatem actûs prædefiniti, quia hujus principia influentia omnia manent indifferentia, hæc per se immediatè influunt; secùs prædefinitio, utpote per accidens se habens respectu consensûs prædefiniti, connectitur quidem cum hoc essentialiter connexionem non antecedente immediatâ sed remotâ impedibili à voluntate Petri, uti explicatum est.

474. Quæres tertio an stante iudicio indifferente ex parte intellectus explicato *num. 463. & seq.* possit tolli libertas à suppositione aliquâ causali antecedente increatâ, aut creatâ, de quâ relege *num. 472.* Respondeo affirmativè cum Dequiros *de anima D. 88. n. 12.* Probatur, quia stante hoc iudicio nihil obest quò minus DEUS voluntatem sine immisâ prædeterminante qualitate per se, & immediatè abripiat voluntatem in consensum, quò fieret negando eî concursum ad actum oppositum e.g. malum & relinquendo concursum ad actum bonum cum determinatione ad individuum, tunc enim, si pura omisio est impossibilis, voluntas necessitatur ponere actum bonum determinatum, si autem pura omisio est possibilis, adhuc perfectò Deus Dominio non est negandum, quò minus cogat voluntatem ad actum bonum per specialem suâ omnipotentia applicationem. Secundò cogi potest voluntas immisâ qualitatem Thomisticam, ita Raynaud. *Discipl. Mor. dist. 1. num. 275.* Ratio, quia stante iudi-

cio indifferente potest voluntas efficaciter se inclinare per imperium efficax ad unam partem, ergo etiam potest efficaciter trahi per imissionem qualitatis physica, particula causalis voluntas enim non solù trahitur per qualitatem vivam, seu objecti cognitionem, sed etiam per mortuam, ut patet in habitu acquisito ex actibus frequentatis malis, aut bonis, ergo potest dari qualitas mortua ita voluntatem inclinans, ut ei non permittat indifferentiam activam.

Quomocûnque tamen DEUS impediât libertatem, potest solùm impedire libertatem proximam definitam *num. 450.* non autem remotam, hæc enim est ipsa natura voluntatis rationalis, quam DEUS nequit impedire, sed duntaxat agere contra ejus exigentiam, vi cuius exigit comprincipia libera.

475. Quæres quartò an divina præscientia, quâ DEUS præscit actus nostræ voluntatis futuros tollat horum libertatem, Ratio affirmandi est, quòd præscientia, quâ DEUS videt actus nostros voluntatis futuros sit infallibilis, sed si est infallibilis, est essentialiter connexa cum absolutè futura actuum existentia, si autem est essentialiter connexa cum absoluta existentia actuum futura, hæc nequit esse libera in sensu composito præscientiæ, aliàs voluntas posset actus absolutè prævisos impedire, eisque impeditis reddere præscientiam DEI fallibilem. Unde Machumetes, Wicleffus, & alij dicunt tollere libertatem. Pro decisione sequentia prænotanda sunt.

Primo quodvis objectum antecedit aliqua prioritate rationis præscientiam sui speculativam, uti disertè docet S. Aug.

a. ad lit. de gen. Ratio quia scientia speculativa non facit suum objectum, sed est merus ejus intuitus, & ideo ut sit ei conformis, seu vera aliquantulum, illud præsupponit non tempore, sed signo aliquo rationis, idque eruitur ex locutionibus causalibus, sic falsissimum est rem esse futuram, quia præscitur: contra est verissimum eam præsciri, quia est futura, ut loquuntur PP. apud Raynaud. n. 337.

Patres igitur infallibilitatem præscientiæ divinæ deducunt ex futuritione rei præscitæ, non tanquam ex causâ physicâ, seu causâ essendi, quasi futuritio objecti physicè influat in divinam præscientiam, hoc enim est impossibile, sed res futura est objectum formale motivum præscientiæ divinæ, nomine autem objecti formalis intelligitur id, quod potentiam vitalem determinat ad actum non physicè, seu per aliquid potentiæ impressum, sed intentionaliter, sive objectivè motivè, ita Izquierdo *de DEO D. 23. num. 172.* vel ut loquitur Dequiros *de DEO D. 37. num. 8.* formale objectum est id, quod est ratio assentiendi scienti, seu est id, quod pro ratione veritatis cognita redditur.

Unde illi Patres, qui negant res sciri, quia sunt futuræ, solum negant Divinam præscientiam physicè causari à suo objecto aliunde etiam reali Duratione objectum non præcedit præscientiam DEI, uti est certum, ergo præcedit duntaxat prioritare rationis tanquam præcisè terminus, & objectum determinans.

Nota secundò futura absoluta libera creata importare concretum, cujus subiectum sunt actus nostri liberi, forma ve-

R. P. Karch, Diff.

ro est eorum futuritio, in quo autem sita sit hæc futuritio est una ex maximis controversiis inter Thomistas, & Societatis nostræ Doctores; Illi contendunt nihil esse distinctum à Decreto Divino absoluto, & efficaci, quo Deus absolute ex parte actus, & objecti dicat ab æterno: volo, ut tali instanti Petrus me meritorie amet, hoc Decretum essentialiter connexum est cum existentia actus amoris Petri: unde secundum Thomistas futurum est, quod est determinatum in causâ, nempe Decreto Divino ad habendam existentiam pro Duratione sequente; proinde juxta illos futuritio est suppositio causalis, & antecedens jam rejecta utpote evertens libertatem *per num. 472.* Præter hanc futuritionem causalem, seu antecedentem nullam aliam admittunt Thomistæ.

Doctores verò ferme omnes Societatis agnoscunt futuritionem formalem estque ea, à quâ res dicitur futura in se, estque nihil aliud, quàm ipsa existentia rei in tempore, quod est posterius præsentem, in quo, & ex quo res denominatur futura, quia per id de præsentem est, & dicitur futura, per quod res erit existens in se tempore sequente, est enim impossibile rem in se existere e.g. cras, quin hodie sit futura, ergo eadem forma, quæ rem pro cras denominat præsentem, hodie, pro tempore antecedente denominat futuram, sed res quævis dum est, per suammet existentiam dicitur præsentem, ergo per eandem pro tempore præcedente dicitur in se futura.

Sed cum nihil creatum possit esse futurum independentem à Decreto DEI libero id decernente, ultra futuritionem

Zz

forma-

formalem agnoscunt Doctores Societatis etiam causalem indistinctam partialiter à Decreto Divino, non Thomistico proximè exposito, sed indifferente ex se ad utramque oppositorum partem, unde quòd in actu secundo jungatur potius cum hoc extremo e. g. amore DEI, quàm cum opposito, determinatio provenit à voluntate nostra, & ideo futuritio causalis actus liberi nostri est etiam partialiter determinatio nostræ voluntatis.

Colligitur primò quòd formalis rei futuritio non sit aliquod esse, quod nunc, antequam res producat, sit, & fuerit ab æterno, ita S. Aug. *Lib. II. Confess. c. 18. & 20.* quia nullo est opus distincto ab eo (quòd postea erit actuale) prout connotante tempus antecedens, in quo nondum est, & postmodum erit.

Colligitur secundò futuritionem rei esse æternam, quia res dicitur futura antequàm actu sit, sed quodvis instanti anteriori sine fine à parte ante res actu non est, & postmodum erit, ergo tota antecedente æternitate est futuritio.

Nota tertio, possibilitas rerum est aliquo signo rationis prior futuritione rerum, quia antequàm DEUS se determinet ad causandam rem, hæc est possibilis, quæ tamen pro illo signo nondum est futura, futuritio enim absoluta supponit Decretum Divinum absolutum velut causam sui partialem, ut proximè dictum juxta principia Scholæ Societatis. His prænotatis.

477. Respondeo ad quæsitum quartum negativè, est de fide etsi infallibiliter cognoscat actus nostros futuros libe-

ros ex illo Daniel. 13. **DEUS qui nesci omnia antequàm fiant.** Ratio est, quia futuritio actuum nostrorum liberorum prioritate rationis præcedit præscientiam sui speculativam, nempe scientiam visionis Divinæ (hac enim videt omnia absoluta contingentia futura) ergò prius ratione est actus nostros esse liberè futuros, quàm illos prævideri, ergo prævisio non adimit jis libertatem, sed supponit *per num. 476. vers. nota tertio.*

Quare prævisio ad rem futuram se habet, ut visio ad rem præsentem v. g. mea visio ad Petri Sessionem, ergò sicut mea visio est posterior Petri Sessione, nec est causa illius, ita prævisio, qua DEUS ab æterno prævidit actus nostros liberos, non est horum causa. Et sicut Sessio ex Petri ex suppositione, quòd semel sit, est necessaria necessitate consequente, & ideo mea de illa visio est infallibilis, & necessariò vera, ita futuritio actuum nostrorum liberorum ab æterno fuit necessariò necessitate consequente non orta ex præscientia, aut Decreto Divino, sed ex ipsa existentia, quam DEUS ab æterno præcivit à nobis liberè ponendam pro certa temporis differentia, pro qua actus nostri liberi illam in se prævidebantur habituri, ergo pro illa temporis differentia, etsi actus nostri liberè existant, non tamen possunt non esse pro tunc, quando sunt: *Ex quo enim est, inquit S. Th. q. 2. de veritate contingens, non potest non esse, quando est, quia omne quod est, necesse est esse: unde non sequitur, quòd scientia DEI fallatur, sicut visus meus non fallitur, dum video.*

deo Petrum sedere, etiamsi sit contingens.

Ex his evanescit ratio affirmandi allata initio *num. 475.* connexio enim, quam habet præscientia DEI in esse infallibiliter præscientis nequit tollere libertatem, cum illam præsupponat, & licet in sensu composito præscientiæ hæc nequeat impediri, reddique fallibilis, poterat tamen impediri, nè unquam existeret in DEO præscientia hæc visionis in esse visionis, poterat enim impediri existentia actuum liberorum, quæ impedita nunquam fuisset in DEO scientia visionis in esse visionis existentia eorundem; est enim denominatio coalescens ex entitate absoluta scientiæ divinæ, & ex existentia actuum liberorum. Hinc scire contingentia non est perfectio simpliciter simplex, cum possit esse DEUS, quin sciat contingentia, ut si hæc non existant, est tamen perfectio simpliciter simplex posse contingentia scire.

Dices quod DEUS præscit, necessarium est eventurum, sed DEUS præscit actus nostros eventuros e.g. peccata Petri Christum negantis, & Judæ eundem prodentis, ergo peccata Petri, & Judæ sunt necessario eventura.

Richardus Armacanus 20. annis laboravit in dissolvendo hoc argumento, cujus varias solutiones recenset Raynaud. *Discip. Mor. Dist. 2. num. 348.* solutio est facilis ex præmissis. Major Syllogismi est vera de eventu necessario necessitate consequente, id est, de necessitate ex suppositione voluntatem nostram consequente, secus de necessitate antecedente, sive non supponente liberam no-

stram determinationem. Et concessa minori consequens distinguitur, ut major: peccata Petri, & Judæ sunt necessario eventura necessitate consequente concedo consequentiam, necessitate antecedente, nego consequentiam.

478. Quæres quinto an appetitus sensitivus impediatur libertatis usum. Respondedo negativè, quamdiu non opprimit cognitionem de se indifferentem ad esse liberum, est de fide contra Calvinum, & sequaces ejus. Probat *ex Gen. 4. sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, ita DEUS locutus est Caino, consequenter post lapsum. Admitto tamen voluntatem inflammari ardente igne concupiscentiæ, voluntas enim cum non feratur in objectum, nisi dependenter ab intellectu, hic autem sensibile objectum proponit dependenter à phantasia, seu ab imaginatione, hæc vivaciter repræsentans sensibile bonum inflamat appetitum, flamma hæc gliscens per corpus allicit pariter voluntatem ad amplexum ejusdem objecti, ita tamen, ut voluntati maneat liberum consentire.

Unde appetitus sensitivus non directè, & per se, sed indirectè movet voluntatem ex parte objecti, quatenus idem objectum, in quod fertur appetitus sensitivus, facile etiam ab intellectu judicatur ut conveniens voluntati, nam appetitus sensitivus immutat Corpus illud alterando, ac diversimodè disponendo, unde fit, ut stante tali dispositione objectum proponatur, quod ante passionem non apparebat tale, quapropter dixit Aristoteles 3. *Eth. 4. qualis unusquisque est, talis ei finis, seu bonum videtur*, id est, unicuique videtur bo-

num, idque melius, ad quod potissimum inclinatur dispositio naturalis, sive complexio, vel habitualis, seu contracta mala consuetudo, relicta nihilominus potestate voluntatis in oppositum.

Admitto secundò fieri posse, ut sit tanta passionis vehementia, quæ omnino species perturbet in phantasia & exinde in intellectu, quo casu intellectus fit impotens elicere cognitionem necessariam ad libertatem; & voluntas tunc non est formaliter, & proximè libera, non quasi passio vicerit Dominium voluntatis, sed quia passio impedivit cognitionem sufficientem, quæ est unum ex principijs essentialiter constituentibus actum primum proximum liberum.

479. Quæres sextò, an habitus acquisitus possit ita intendi, ut voluntatem necessitet. Affirmat Olkot. *in 1. q. 3. Art. 3.* Respondeo negativè cum Raynaud. *num. 297.* ex certa sententia. Probatur: habitus acquisitus non præmover voluntatem ad agendum, sed hanc ad agendum faciliat, supposito quòd se voluntas determinet ad agendum, sed hoc ipso habitus nequit intendi intensiōne necessitante voluntatem, ergo.

Dices crescente intensiōne habitus v. g. intemperantiæ crescit pariter difficultas eliciendi actus temperantiæ, ergo potest hæc difficultas augeri, donec vincat voluntatis indifferentiam. Respondeo concessio antecedente, nego consequentiam, quia intensiō habitus nequit esse nisi finita, siquidem virtus ejus passiva, & sustentativa, nimirum anima etiam est finita, ergo resistentia orta ex habitu intemperantiæ nequit, nisi finitè

resistere voluntati ad eliciendum actum temperantiæ.

Deinde resistentia hæc non est tanta, quanta est habitus intensiō, ex quo resultat, quia resistentia orta ex qualitatibus non crescit Arithmeticè juxta mensuram, ac intensiōnem qualitatis, ut patet in primis qualitatibus, quæ licet æqualiter sint intensæ, non tamen æqualiter agunt, & resistunt, Calor enim ut octo non resistit ut octo, aliàs nihil frigoris produceretur à frigore ut octo, quia frigus ut octo non haberet proportionem majoris inæqualitatis in agendo respectu calidi, ut octo se passivè habentis. Virtus autem voluntatis potens elicere actum oppositum temperantiæ est quidem etiam finita, est tamen ita finita, ut illa habeat proportionem majoris inæqualitatis, & ideo potest semper vincere resistentiam habitus oppositi vitiosi, nam virtus voluntatis est æquivoca, proinde potens æquivalere quàm plurimis gradibus habitus vitiosi resistentis, & ideo semper in agendo est fortior, quàm habitus in resistendo.

480. Dices secundò saltem in statu naturæ lapsæ habitus intensus vitiosus necessitat voluntatem ad malum, quia voluntas in hoc statu est stupefacta, & riget ad bonum. Est item corrupta, fauciata, debilitata, ac vulnerata, ut loquuntur Sancti Patres, apud quos etiam reperitur in communi illà generis humani clade quassatum, & amissum esse liberum arbitrium.

Solutioni quædam ex principijs Theologicis de statu naturæ & gratiæ opportunè prælibanda sunt, sine quibus solutio perfectè vix potest intelligi.

Primò

Primò esse de fide, quòd post peccatum Adæ liberum arbitrium minimè exinctum sit, sed attenuatum, & inclinatum, ita Trid. Sess. 6. cap. 1. & can. 5.

Secundò, est de fide quòd DEUS in statu innocentie creaverit hominem rectum juxta illud Ecclesiastici 7. *DEUS fecit hominem rectum.* Erat autem inquit S. Th. 1. p. q. 95. art. 1. in Corp. *rectitudo secundum hoc, quòd ratio subdebatur, rationi verò inferiores vires, & anima corpus: quamdiu enim ratio manebat subiecta DEO, inferiora ei subdebantur.*

Tertiò, est certum hanc subjectionem post lapsum non permanisè; unde sequitur, quòd subiectio appetitus sensitivi ad appetitum rationalem non sit proprietas, & quid connaturaliter debitum naturæ rationali etiam pro statu puræ naturæ.

Porrò status naturæ humanæ Theologicè sumptus est determinatus se habendi modus naturæ humanæ in ordine ad consequendum finem ultimum. Quando natura humana consideratur secundum nudas, & solas, omnes tamen perfectiones naturales, cum defectibus naturalem corporis constitutionem consequentibus, ut fame, siti, morbis, morte &c. sine omni sibi indebito, id est, sine ullo bono gratuito, & malo corruptivo naturæ, atque aded sine peccato saltem lethali, dicitur sic considerata esse in puris naturalibus, seu in statu puræ naturæ.

Quando natura ultra dictas naturales perfectiones habet perfectam subjectionem partis inferioris, seu appetitus sensitivi ad superiorem, seu appetitum rationalem, & hujus ad DEUM intra limites ordinis naturalis, vocatur status naturæ integræ, mediis inter statum puræ naturæ, & statum justitiæ originalis: quia de primo participat totum, quòd ille habet, de secundo verò participat præfatam subjectionem, quæ subiectio cum non fiat per gratiam entitative supernaturalem (aliàs natura integræ egrederetur limites ordinis naturalis) sed naturalem, humanæ tamen naturæ indebitam, & ided dici potest hæc gratia supernaturalis quoad modum. Hic status fuisset debitus naturæ Angelicæ, si DEUS non elevasset Angelos ad finem supernaturalem. Unde status naturæ integræ dicitur, non quòd debita fuisset, seu connaturalis subiectio, sed quia hominem adjuvaret ad perfectam legis naturalis observantiam.

Si natura consideretur ut subiecta subiectione præfata ad DEUM, ut finem supernaturalem, proinde per gratiam sanctificantem cum reliquis donis infusis ac exclusione omnis imperfectionis tam naturalis ut famis, sitis &c. quam moralis, seu culpæ, dicitur status justitiæ originalis, in quali fuerunt conditi primi nostri parentes.

481. Status naturæ, in quo consideratur homo privatus gratia, cæterisque donis supernaturalibus, cum continua partis inferioris, seu sensitivæ ad superiorem rebellionem, & aversionem mentis à DEO ut sine supernaturali, appellatur status naturæ lapsæ: à quo, si resurgat

per penitentiam, dicitur status naturæ per Christi gratiam reparata.

Reparatur autem quoad præcipuam partem amissæ justitiæ originalis, quatenus recuperat gratiam sanctificantem cum infusus habitibus sublativis infirmitatis, culpæ non autem recuperat dona, per quæ tollatur infirmitas concupiscentiæ, seu rebellionis inter appetitum sensitivum, & rationalem, nec impeditur mortalitas cum reliquis Corporis miserijs, nec mentis cæcitas, seu ignorantia auferatur. Si demum homo post lapsum perseveret in peccato, dicitur status naturæ lapsæ non reparata.

Est igitur sexduplex status naturæ, nempe status naturæ puræ, naturæ integræ, innocentæ, seu justitiæ originalis, naturæ lapsæ, naturæ reparatæ, & naturæ non reparatæ.

Quod explicata subjectio non sit perfectio, ac proprietas naturæ puræ debita, est recepta cum cit. D. Th. sententia ita loquentis: *Manifestum est autem, quod illa subjectio Corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in demonibus data naturalia post peccatum permanserint. Unde manifestum est, quod & illa prima subjectio, qua ratio DEI subdebatur non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiæ.*

Quartò etsi natura humana per peccatum non amiserit naturaliter determinatè debita naturæ, consequenter quoad hæc non sit facta debilior, amisit tamen

ex bonis naturalibus determinatè non debitis magis proficua ad felicitatem naturalem, quæ naturaliter conferri potuissent, citra tamen miraculum etiam negari, unde natura pura cum istis fuisset robustior in naturalibus, quàm sit lapsa, & in hoc sensu per *num. 480.* dixit Trident. arbitrium liberum per lapsum esse attenuatum.

Hinc merito deducitur, quòd cum originale peccatum naturam fecerit indignam omni favore, è contrà nullum originale malum infecisset puram naturam, naturam lapsam magis subjici potestati dæmonum, servituti, eorumque tentationibus, quàm naturam puram, & ideo lapsa est debilior, quàm pura, quia hæc pluribus naturalibus munita faciliùs resistisset tentationibus, quàm lapsa.

482. Quintò in statu justitiæ originalis fuisset quoad omnes partes natura bene ordinata per *num. 480.* nunc per peccatum omnes vires animæ, seu potentiæ remanent quodammodo destituta proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem: hæc destitutio dicitur vulneratio naturæ ita S. Th. 1. 2. *quest. 85. 3.* sic ulterius pergens, sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, scilicet ratio, in qua est prudentia: voluntas, in qua est justitia: irascibilis, in qua est fortitudo: concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantia: in quantum verò voluntas destituitur ordine ad bonum,

num, est vulnus malitiæ: in quantum verò irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis: in quantum verò concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ, nempe ad malum morale potenter incitantis.

483. Respondeo nunc ad argumentum num. 480. relatam negando assumptum. Ad probationem primam dico naturam lapsam stupere, & rigere hoc præcisè sensu, quod segnitæ voluntaria distineri se sinat ob difficultates, quas sentit postquam est destituta quibusdam bonis naturalibus ad naturalem felicitatem, ac subordinationem explicatam proficiuis, non tamen naturaliter debitis ac etiam ob quatuor accepta vulnera proximè declarata; inde enim moritur, quòd difficultates sentiat in opere bono, uti & ob propensiones, à quibus allicitur in bonum sensibile virtuti oppositum, ita camen ut non sit supra ejus vires nativas excutere illum torporem, & suscitare vigorem, consequendi bonum ordinis naturalis.

Ad probationem secundam, quo sensu natura humana sit corrupta, sauciata, atque vulnerata, explicat S. Th. proximè recitatus, negatur autem libertas arbitrium esse amissum, sed arte-

nuatum per num. 480. & seq. Negatur ergo, quod sit corrupta corruptione perfectionis per se spectantis ad constitutionem naturæ humanæ, quia post lapsum naturalia determinate debita permanserunt per num. 481. vers. Quod explicata.

Et ut paucis complectar omnia: post lapsum natura humana dicitur corrupta, laesa, vulnerata &c. comparative ad naturam sanam sanitate supernaturali nimirum justitiæ originali, homo enim ista spoliatus per peccatum est infirmus, ac debilis propter propensionem ad bona sensibilia rectæ rationi adversantia, in quorum amorem frequenter, & facile labitur destitutus extraordinarijs præfidijs supernaturalibus, defectu horum præfidiiorum, quæ remoto peccato advenissent naturæ, status naturæ lapsæ est status infirmitatis, vulneris &c. ita communis Theologorum, de quibus vidè Valent. 1. 2. D. 6. q. 15. p. 1. & D. 8. quest. 5. p. 1.

Patres dicentes per peccatum esse amissam libertatem, loquuntur de libertate gratiæ, quæ libertas opponitur servituti peccati, secùs de libertate philosophica, seu à necessitate, quam sectarij per num. 451. fingunt per peccatum everlam.





§. VI.

Circa quæ objecta potest se voluntas liberè exercere?

484. **O**bjectum voluntatis est bonum & malum; hoc respectu actuum fugæ, se averſatorum, bonum verò respectu actuum prosecutionis: quemadmodum intellectus pro assensu habet pro objecto verum, pro dissensu verò falsum.

Quæres primò an voluntas sit libera libertate contradictionis, & contrarietatis ad amandum DEUM in statu viæ.

Respondeo primò amor DEI est in viâ liber libertate contradictionis, seu exercitij. Ratio eatenus amor DEI non esset liber libertate contradictionis, quatenus in DEO secundum se considerato nulla apparet malitia, aut defectus alicujus boni, sed hæc ratio non obstat, quia ipsum continuatum exercitium amoris non caret omni malitia, id est, disconvenientia, seu difficultate, parit enim defatigationem, & nequit satiare appetitum; ergo potest voluntas suspendere amorem aut actu reflexo nolle amorem. Confirmatur. Cognitio abstractiva in viâ proponit valde imperfectè DEI bonitatem, sed hoc ipso hæc nequit necessitare voluntatem ad amorem DEI.

Respondeo secundò, voluntas nequit esse libera libertate contrarietatis ad amandum DEUM secundum se spectatum, at bene si spectetur, ut est causa plurimum effectuum molestorum voluntati,

ut suppliciorum, aut calamitatum etiam non præsupponentium culpam, ut morborum, bellorum, famis, &c. Ratio primi, quod nullum objectum bonum representatum voluntati ut bonum plenissimum sine omni malo positivo, aut privatione alicujus boni potest odio haberi, bonum enim ut bonum est, odio haberi non potest, sed DEUS secundum se spectatus est bonum plenissimum sine omni malo positivo, aut privatione alicujus boni representatum, ergo nequit odio haberi, sed si non potest odio haberi, voluntas non est libera libertate contrarietatis ad amandum DEUM; ergo.

Ratio secundæ, quod quidquid representatur sub ratione mali, possit odio haberi, sed DEUS ut malorum vindex, aut ut est causa plurimorum effectuum molestorum, potest representari, & apprehendi ut malus, qualiter apparet damnatis, & pluribus peccatoribus DEUM blasphemantibus.

485. Quæres secundò, an, & qua libertate se voluntas nostra liberè exerceat circa bona creata. Respondeo nullum bonum creatum amari necessariò quoad exercitium, quia aut est mixtum malo, & sic potest etiam odio haberi, proinde non amari aut est bonum mancum, id est, carens aliquo genere, aut specie boni, & ideo amor ejus suspendi.

Re-

Respondeo secundò, objecta habentia bonitatem cum admixta malitia possunt amari liberè libertate tam contradictionis, quàm contrarietatis.

Respondeo tertio, prædicata creata, quæ nostro modo concipiendi præcindunt à suis positivis imperfectionibus, & sic evadunt perfectiones simpliciter simplices, qualia sunt prædicata in nobis reperibilia, quæ de DEO formaliter prædicantur, ut esse, vivere, intelligere, velle &c. amari possunt libertate tum exercitij, seu contradictionis, ut constat ex dictis, tum specificationis seu contrarietatis. Raynaud. *Discipl. mor. dist. 2. à num. 185.* contra alios, probatur quia hujusmodi perfectiones non sunt summum in se bonum, sed positivè finitum, ergo habent defectum, seu carentiam alicujus boni, sed hæc carentia habet sufficientem mali rationem ad sui odium, sicut carentia mali habet sufficientem rationem boni ad sui amorem, ut patet in infirmis appetentibus carentiam doloris, quam non appetent, nisi esset bona, carentia autem doloris est carentia mali, ergo carentia mali habet sufficientem rationem boni, ergo etiam carentia boni habet rationem mali.

Dices certum est dari in voluntate motus primò primos de objecto bono creato, hi sunt necessarij necessitate exercitij, ergo voluntas saltem per aliquos actus amat necessariò bonum qua talè necessitate exercitij. Respondeo distinguendo minorem, sunt necessarij necessitate exercitij vi sui objecti nego minorem, defectu cognitionis sufficientis ad libertatem concedo minorem, distinguo etiam consequens, per aliquos actus vi sui

R. P. Karch, Diss.

objecti amat necessariò nego consequentiam, defectu cognitionis sufficientis ad libertatem concedo consequentiam.

486. Quæres tertio, an ex duobus finibus propositis possit voluntas liberè amare libertate contradictionis finem inefficaciùs propositum, saltem si sit melius bonum. Respondeo affirmativè cum Mauro *hïc quæst. 19. num. 26.* & communi apud Amic. *hïc D. 9. nu. 11.* contra Vasq. *1. 2. D. 43. cap. 2. nu. 10.* probatur finis inefficaciùs propositus habet distinctam bonitatem à bonitate finis efficaciùs propositi sed si sic, potest voluntas liberè libertate contradictionis amare finem inefficaciùs propositum in consortio finis efficaciùs propositi, ergo. Minor probatur, major efficacitas, qua supponitur alter finis, non potest impedire; quò minùs finis inefficaciùs propositus voluntatem ad se alliciat, & hæc se determinet ad ejusdem intentionem, major enim efficacitas aliud esse non potest, quam ex vi propositionis finis magis inclinari, uti fit, dum finis unus præ altero proponitur cognitione intensiore, vel clariore, vel certiore, sed nihil horum potest impedire, quò minùs finis inefficaciùs propositus voluntatem ad se alliciat, & hæc se determinet ad ejusdem intentionem, nam constat, experientia nos sæpe illa approbare, & intendere, quæ clarissimè novimus repudianda secundum illud: *Video meliora, proboque, deteriora sequor.*

487. Quæres quartò an, dum fines duo aequali efficacitate proponuntur, uterque possit amari liberè libertate contradictionis. Respondeo affirmativè cum cit. Mauro *num. 28.* Soarez *tom. I.*

Aaa

Me-

Metaph. D. 19. S. 6. num. 13. contra
 Vasq. c. 2. probatur: quando duo fines
 proponuntur inæqualiter, uterque liberè
 libertate contradictionis potest amari,
 imò etiam libertate contrarietatis, dum
 unus eorum contrariatur alteri, ergo eti-
 am in duos fines æqualiter præcognitos
 potest voluntas ferri liberè libertate con-
 tradictionis, imò etiam contrarietatis,
 si unus est alteri oppositus, consequentia à
 fortiori tenet, quia dum uterque æquè effi-
 caciter proponitur, quisque alteri oppo-
 sito vi sua proportionis magis resistit,
 proinde magis ad se voluntatem allicit,
 quam resistat finis ineffaciùs propositus
 vi sua cognitionis fini efficaciùs proposito.
 Responsio subsistit etsi unus ex fini-
 bus pensatis omnibus sit bonum melius,
 aut æquale bono alterius finis. Ratio,
 quòd non sola fides, sed etiam ratio na-
 turalis iudicet, quòd hic, & nunc sit
 melius non peccare, quam peccare, &
 tamen sic iudicans est liber ad peccandum
 & non peccandum, juxta allegatum:
video meliora &c. ergo est in nostrà li-
 bertate minus bonum præferre majori,
 consequenter à fortiori id, quòd omni-
 bus perpensis est bonum æquale. Et
 cum per *num. 486.* finis ineffaciùs pro-
 positus possit amari liberè libertate con-
 tradictionis, sequitur, quòd etiam bo-
 num minus ineffaciùs propositum possit
 præ bono meliore efficaciùs proposito
 voluntas liberè eligere.

Hoc modo esse factum initium pec-
 cati, tam in Angelis quam in primis pa-
 rentibus benè probat Maurus *num. 29.*
 bonum enim, quòd peccando elegerunt
 fuit minus, ac ipsdem propositum inef-
 ficaciùs, quam bonum majus oppositum
 peccato nam quòd nobis proponatur in-

efficaciùs, oritur ex defectu perfectæ re-
 ctitudinis in intellectu propter vulnus
 ignorantia, & in voluntate propter vul-
 nus malitia, & ex imperfecta subiectio-
 ne appetitus sensitivi ad rationalem pro-
 pter vulnus concupiscentia *juxta num.*
482. & seq. sed tam Angeli quam primi
 parentes præditi erant physica rectitudine
 tam Intellectus, quam voluntatis, ap-
 petitùsque sensitivus in his fuit perfectè
 subiectus appetitui rationali *per num. 480.*
 Angeli autem carebant appetitu sensitivo,
 ergo tam Angelis, quam primis parenti-
 bus intellectus efficaciùs proposuerat ma-
 jus bonum in non peccare, quam minus
 bonum in peccare apparens. Ergo factum
 est peccati initium, quòd tam Angeli, quam
 protoparentes liberè se determinaverint
 ad aversionem à bono majore efficaciùs
 proposito, & ad conversionem ad minus
 bonum ineffaciùs cognitum.

488. Dices si efficaciùs cognove-
 runt bonum majus relucens in non pec-
 cato, & ineffaciùs minus bonum relu-
 cens in peccato, quomodo evenit, quòd
 non sint retracti à peccato per considera-
 tionem motivorum, quæ eos retraher-
 ebant à peccato?

Respondeo cum Mauro *num. 31.*
 eos caruisse cognitione perfectiore mo-
 tivorum retrahentium à peccato (defe-
 ctum hujus perfectioris cognitionis vocat
 inconsiderationem purè negativam) quam
 si habuissent, perfectiùs considerassent
 motiva retrahentia, proinde se non aver-
 tissent ab horum consideratione: defectu
 hujus converterunt se ad efficaciùs consi-
 deranda motiva non obediendi DEO,
 quam obediendi: Hac libera conversio
 ad efficaciorem considerationem moti-
 vorum

vorum non obediendi præ consideratione motivorum obediendi vocatur à Mauro peccatum initiale, seu initium peccati (ante hoc intellectu nullus præcessit error, nec inconsideratio libera, seu privatio considerationis, sed pura negatio considerationis non libera sita in negatione alicujus cognitionis perfectioris, ut dictum est) exinde cœpit obscurari intellectus tam in Angelis, quam in primis parentibus, & sensim sunt prolapsi in errorem, vel inconsiderationem, qua apprehenderunt non inesse tantam peccati malitiam, quanta illis apparebat ante obscuratum intellectum, ex hoc demum errore, aut inconsideratione consummârunt, & compleverunt peccatum. Unde patet, quòd peccatum initiale commiserint sine omni errore, aut inconsideratione, at peccati consummatio facta est ex pravio, vel errore, vel inconsideratione. Caterùm ad peccandum non necessariò præcedit error, imò nec inconsideratio est necessaria, etsi hæc semper aut regulariter præcedat peccatum per num. 194. & sequentes.

Contra hoc si opponas scripturam: *errant, qui operantur malum. Prov. 14. v. 22.* Respondeo eam loqui de peccato consummato, nam ly operari malum indicat completum peccatum, ad quod per quosdam gradus pervenitur à primo gradu, quem diximus esse liberam aversionem intellectus à motivis à peccato retrahentibus.

Claudo hanc quæstionem cum communi Sanctorum Patrum, apud Bellarm. tom. 4. lib. 3. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 6. docentem ex ipsorum doctrina, quòd primi parentes ante

consummatum peccatum non solum erraverint, sed in hæresim sint delapsi, qualitatemque hujus hæresis ibidem exponit.

489. Quares quintò, an supposita efficaci intentione finis præcisè intendente consecutionem finis possit voluntas ex duobus medijs inæqualibus, ac incompossibilibus eligere liberè medium sufficiens, minùs tamen bonum, ac utile excluso utiliore.

Respondeo affirmativè contra cit. Vasq. cap. 2. probatur, si voluntati non imponitur necessitas eligendi medium utilius, potest hoc liberè præeligere neglecto medio utiliore, sed datâ etiam intentione efficaci præcisè intendente finis consecutionem nulla vi hujus intentionis imponitur necessitas voluntati eligendi medium utilius, sed cogit solum ad medium sufficiens, quale supponitur esse medium minùs utile, hoc enim, quod excludat medium utilius, non evadit simpliciter malum, sed duntaxat minùs bonum, & ad summum, est malum secundùm quid, quatenus excludit melius bonum, exclusio hæc omnino est mala per num. 485., quia tamen ex parte altera est sufficiens ad finis consecutionem, fit, ut voluntas ejus electiva feratur in id, ut bonum est, non ut malum, quia non fertur in id ut comparatum ad bonum melius, sed in quantum est bonum sufficiens contra Vasq. num. 12. & 13.

Dices Philosophus 3. Eth. 3. ait, quod cæteris ex consultatione prætulimus, id eligibile est, sed id, quod est melius præferimus; ergo etiam id solum est eligibile. Secundo electio sequitur

ad iudicium consultationis, sed istud nequit præluere electioni medijs minus utilis, intellectus enim consultando colligit illud tantum medium, quod censet melius comparando unum cum alio. Antequam diluatur obiectio enodanda est sequens quaestio.

490. Quæres sextò, an datâ efficaci Intentione finis illum citiùs, & securius obtinendi voluntas ex propositis duobus medijs inæqualibus quoad utilitatem possit liberè libertate specificationis eligere medium minus utile neglecto utiliore.

Respondeo Negativè, & in hoc casu amplector sententiam Vasq. cit. c. 2. probatur, medium quod efficax Intentio finis virtualiter excludit, non potest eligi, sed in casu proposito efficax intentio finis hunc citiùs, securius obtinendi excludit medium minus utile, nam virtualiter excludit, quidquid impedit, aut retardat finis consecutionem, sed medium in consultatione præjudicatum minus utile retardat finis intenti consecutionem, ut citiùs, & securius obtinendi; finis enim citiùs, & securius procuraretur per medium utilius, ut supponitur; ergo id, quod excludit hoc medium, retardat finis consecutionem, sed medium minus utile supponitur esse oppositum medio meliori; ergo est hujus exclusivum consequenter retardativum consecutionis finis.

Retinet quidem medium etiam minus utile etiam in isto casu suam bonitatem, & utilitatem, quia tamen est virtualiter exclusa per præfatam efficacem intentionem, eligi non potest. Unde

est disparitas inter duos fines inæquales; quòd propositio finis melioris non sit exclusio, virtualiter excludens propositionem finis minus boni, hujusque vim motivam.

Respondeo nunc ad duo argumenta sub finem num. 489. proposita. Et quidem textus Philosophi, uti etiam textus S. 7. ex 3. de Anima debere intelligi pro casu, quo finis citiùs ac securius obtinendus intenditur.

Ad secundum est eadem responsio, quia dum finis efficaciter intenditur citiùs, & securius obtinendus, hanc intentionem necessariò subsequitur consultatio comparativa mediolorum, id est talis, quâ media inter se comparantur, ut deprehendatur optimum, hoc enim est virtualiter volitum in tali finis intentione, & ideò necessariò necessitate consequente superveniens electio eligit optimum: è contra quando finis præcisè efficaciter intenditur, subsequens consultatio non fit ex fine deprehendendi id, quod melius sit, & postea eligatur, sed præcisè, ut deprehendatur medium sufficiens, & ideò potest absolūtè eligere ex pluribus etiam id, quod est minus utile, dummodo sufficiat. Ex hoc.

Deduco ex fortiori liberum esse voluntati inter plura media æqualia eligere quodvis illorum contra Vasq. num. 12. quia quodvis habet majorem vim allicienti in præsentia alterius æqualiter trahentis, quàm habeat medium minus bonum.

Confirmatur ex parte mediolorum sunt omnia æqualia, ergo maxime congruit, ut voluntas sit activè indifferens ad alterutrum eligendum: dicere, quod
ferri

ferri. nequeat in ullum eorum est, contra quotidianam experientiam: quis enim credat famelicum videntem duos panes per omnia æquales mansurum in suspenso, quin valeat se determinare ad unum unius.



§. VII.

Quomodo voluntas potentias alias sibi subjectas habeat, easque moveat? Inde deducuntur quedam utilia corollaria, & de motibus primo primis.

491. **D**ominium, sive imperium unius in alium est duplex, unum est despoticum, sive herile, alterum politicum, sive civile; Despoticum est, cui is, qui subest, rebellare non potest, sed instar mancipij imperanti, veluti Domino parer. Politicum est, cui non possunt subditi se omnino opponere, sed nec omninò coguntur jussa exequi, sed more civium possunt rebellare, qualiter cives obtemperant suo Principi, nempe non ut mancipia, sed ut homines liberi alienæ jurisdictioni obnoxij, Unde Izquierdo *de DEO D. 35. num. 88. & 95.* ubi distinguit inter impericum politicum, & monasticum, hoc enim propriè tale ponit in judicio de electione mediij purè intentiva movens ad electionem ejusdem mediij executivam, imperium verò politicum negat esse actum intellectus, sed voluntatis, quo subdito ab imperante distincto intimatur voluntas obligatoria, hoc autem spectat ad voluntatem. Ego Respondeo ex *num. 9.* cum obligare spectet ad voluntatem, intimare autem ad intellectum, imperium politicum includit utrumque actum.

Quæres primò, an intellectus despoticè, aut politicè subiaceat voluntatis imperio. Respondeo neutro modo subijci quoad apprehensiones omnino primas, quia apprehensio quævis simpliciter prima antecedit omnem profus actum nostræ voluntatis.

Quoad judicia verò subjectus est politicè quoad exercituum, secùs quoad specificationem circa veritates evidentes; hæc secunda pars facillè probatur; voluntas enim non potest intellectum determinare ad dissensum, quando veritas objectiva evidenter apprehenditur, ergo intellectus quoad speciem judicij circa evidentes veritates non subest despoticè voluntati, ut subest potentia locomotiva, cum hæc possit à voluntate cogi ad motum, qui sit potentia locomotivæ evidenter malus, è contra voluntas nequit determinare intellectum ad actum huic evidenter malum, uti est dissensus circa verum evidens.

Prima pars de judiciis ostenditur: judicia, vel sunt evidentiæ, & hæc, vel ex terminis apprehensus orta, ut assensus

primorum principiorum, vel sunt conclusiones ex illis evidenter deductæ, vel sunt judicia probabilia, sed in his omnibus intellectus politicè subjectus est voluntati quoad exercitium: de probabilibus concedunt omnes, de evidentibus etiam mihi in Philosophia probabilior visâ est affirmativa, quia veritas creata quantumcunque evidenter proposita est limitata, sed hoc ipso subest politicè voluntati ita ut omnis circa eam assensus queat à voluntate imperari, sicut nullum bonum creatum etiam evidenter propositum necessitat voluntatem quoad exercitium etiam secundum sententiam oppositam.

492. Quares secundò an actus sensus externi, & interni, potentia vegetativa, & progressiva voluntatis imperio subiaceant? Respondeo ad primum, & secundum, utrumque subijci indirectè voluntati; nam voluntas potest directè imperare clausuram sensus externi e.g. oculorum, his clausis impeditur in oculis visio, & per consequens etiam actus sensus interni producendus à speciebus quas actus visionis in sensu interno produceret.

Econtra neuter sensus quoad suos actus directè subijcitur voluntatis imperio, quia presente objecto, & sufficienter applicato sensu externo e.g. visu non est liberum voluntati impedire visionem eliciendam: & posito actu sensus externi v.g. visione colorati, necessariò excitatur, & producitur ab eodem actu species impressa de eodem objecto in sensu interno, quæ species, cum sit sufficienter applicata ad agendum cum sensu interno, hic velut potentia necessaria necessariò aget, elicietque actum internum phantasticum, quin possit à voluntate impediri,

Respondeo ad tertium actus potentia vegetativa non possunt directè dependere à voluntate, cum sumpto cibo non sit in potestate voluntatis, ut non convertatur in alitum, proinde solum indirectè subijcitur voluntatis imperio, quatenus potest imperari cibi sumptio, aut hæc liberè impedita impediri nutritio.

Respondeo ad quartum voluntati despotice subesse potentiam progressivam, quia hujus gressu, nisi sit aliunde impedita, potest pro libitu uti. Motus tamen cordis, & artieriarum non sunt nobis arbitrarij, hi enim oriuntur à virtute peculiari pulificâ, quæ non dependet à voluntatis imperio. Idem est de pulsu cerebri, qui fit, aut ab innata cerebro motrice facultate, aut, quod verius est, à virtute motrice plurimarum artieriarum, quibus est cerebrum intextum, nam harum motus apparet efflato cerebro, seu cranio.

493. Quares tertio an appetitus sensitivus in suis operationibus, & quomodo subijcatur voluntati. Respondeo ex actibus appetitus sensitivi alij dependent à subitanea, & inimpedibili imaginatione, alij sequuntur ad imaginationem à voluntate inimpedibilem, hi dependent à voluntate, & à fortiori, qui directè imperantur à voluntate mediante imaginativâ, hi postremi directè subijciuntur voluntati, priores verò indirectè.

Loquendo de actibus consequentibus ad imaginationem inimpedibilem dico eos non subesse voluntati, quia dum objectum sensibile imaginatione apprehenditur, naturaliter, seu necessariò excitatur in appetitu sensitivo actus secundum qualitatem objecti. Sed ima-

ginatio non subest voluntati, uti supponitur; ergo nec actus appetitus sensitivi inde ortus.

Idem dic de actibus appetitus sensitivi illis, qui necessariò sequuntur ad certam corporis alterationem, & dispositionem independentem à nostra potestate: ejusmodi actus sunt motus carnis: quod si talis corporis immutatio liberè procuretur, ut si quis deliberate applicet phantasiam objecto sensibili cum prævifa humorum excitatione, ac exinde alteratione Corporis, tam hæc, quàm motus carnalis ex ista secutus est liber voluntati in radice prima, nempe in imaginatione immediatè libera.

Ex his manifestum est, quòd appetitus sensitivus non instar mancipij, sive despoticè, sed politicè, sive instar civis duntaxat pareat voluntati. Ratio, quòd experientia constet appetitum sensitivum plures elicere actus à voluntate independentes: & quòd concitato semel appetitu, vel proposito ei primum objecto sensibili non sit in arbitrio voluntatis ita appetitum comprimere, ut non rebellet, seque opponat: & idèò quaritur Apost. *Rom. 7. Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio.* Est ergo post peccatum appetitus exlex, & effrænis, ferturque præceps allectus propositione objecti boni sensibilis velut escæ suæ, cujus est appetentissimus.

494. Quares. quartò quomodo moveat voluntas potentias nempe intellectum, appetitum sensitivum, sensum communem, sensus externos, & potentiam motricem secundum locum? Prima sententia affirmat movere activè,

id est, activè concurrere ad proprias potentiarum operationes. Secunda attribuit voluntati motionem activam respectu solius motus progressivi, putat enim, quòd potentia motrix non sit activa, sed purè passiva, respectu verò cæterarum potentiarum sibi subjectarum concurrat duntaxat applicativè, seu eas applicando, ut hæc efficiant suas operationes, non tamen explicant, in quo fixa sit hæc applicatio. Tertia cum Vasq. 1. 2. D. 34. c. 3. negat activè concurrere, seu activè movere ullam potentiam à se distinctam, sed solum per suum imperium potentias præfatas applicare ad executionem operationum cujus propriarum.

Decisio dependet potissimùm ex *tr. de anima*, & quidem ab ea questione, utrum omnes actus tam materiales, quales sunt actus appetitus sensitivi, sensus interni, seu potentia imaginativæ, ac sensuum externorum, quàm Spirituales, uti sunt omnes actus intellectus ac voluntatis, dependeant primò ab anima effectivè, secundò sustentativè: hæc autem quæstio dependet ab illa controversia, an potentia animæ realiter distinguantur ab anima, in qua controversia duæ sunt celebriores opiniones. Prima Scotistarum negantium realiter distingui, hos sequitur Arriaga. Ovied. &c. Secunda Thomistarum propugnantium realem distinctionem, horum vestigijs inhæret Soarez in *Metaph. D. 18. §. 3. à num. 16. Amic. de Angelis D. 8. à num. 23.* In Philosophia secutus sum, Scotistas, & licèt esset vera opinio Thomistarum adhuc animam debere esse principium partiale effectivum actuum tam

ram materialium, quam Spiritualium, imò & sustentativum non solum Spiritualium, sed etiam parziale actuum materialium, defendi cura Vasq. Arriag. Compt. Dequiros contra Thomistas. Ovied. & Hurtad.

In sententia animæ potentias realiter Identificante animæ certum est, quòd anima effectivè concurrat cum omnibus potentijs ad actus quosvis vitales etiam materiales. Proinde etiam voluntas utpote realiter eadem cum anima.

Difficultas itaque quæstionis quærtæ, ut sit controversa debet intelligi de voluntate tanquam de potentia realiter distincta ab alijs potentijs, de quarum subjectione respectu voluntatis differui primis tribus quæstionibus.

Respondeo nunc ad quæsitum quartum, primò nullam potentiam moveri activè à voluntate. Ratio est, quòd non sint multiplicanda principia effectiva sine necessitate, operationum, quas eliciunt reliquæ potentia à voluntate distinctæ, sed si voluntas cæteras potentias sibi subiectas moveret effectivè, multiplicarentur sine necessitate principia activa operationum, quas eliciunt reliquæ potentia à voluntate distinctæ, quia singulae habent vim adæquatam, ac sufficientem ad exequendum imperium voluntatis applicantis singulas ad proprias cujusque operationes, ita ut ad omnes etiam effectivè saltem tanquam causa partialis anima concurrat, hæc enim est principale, ac substantiale vivens in homine, vivitque per omnium potentiarum actus vitales, sed non potest per eos vitaliter vivere, nisi eos efficiendo vitaliter, siquidem spectat ad essentiam vitæ actualis in-

fluxus actualis ipsius à principio vivente. Unde anima est principium activum universale, quia concurret cum singulis potentijs.

495. Respondeo ergo secundò voluntatem reliquas potentias movere duntaxat imperativè, seu per imperium, quo voluntas statuit, volo exercitium e.g. intellectus, sic enim movetur, ac impellitur, atque applicatur intellectus, ut se exercent circa hoc, aut illud objectum e.g. credito DEUM. Porò hæc applicatio fit tum directione intellectus proponentis modum, practicè applicandi potentias ad eliciendos harum actus, tum proprio actu illas ultimò ad opus applicando: sic dum voluntas decernit actum fidei, intellectus præluet ostendendo modum practicum credendi, voluntas demum per suum actum impellit eundem ad eliciendum actum fidei. Hic actus applicans voluntatis dicitur *usus activus*, quo posito mox sequitur operatio fidei in potentia intellectiva, idque ex vi radicationis potentiarum in eadem anima, quæ cum quavis potentia concurret ad quosvis hujus actus, operatio verò ipsa executricis potentia dicitur *usus passivus*, quatenus respicit voluntatem activè utentem potentia circa hujus objectum hancque applicantem.

Unde cum non utamur fine, sed fruamur, usus non est de fine, sed de medijs, idcirco passivus usus non est quævis operatio, sed quæ medium applicatur ad finis consecutionem. Hujusmodi operatio est effectus potentia executivæ prout elicitur ab ipsa potentia, & est simul formalis passiva applicatio ejusdem potentia.

potentiæ ad opus ut à voluntate imperatum.

Si petas an soli voluntati competat imperare cæteris potentijs, & cur? Respondeo affirmativè cum S. Th. 1. 2. 9. 9. Art. 1. dante rationem, quòd sola voluntas pro objecto habeat universale bonum totius suppositi, è contra singulæ aliæ potentiæ respiciant pro objecto bonum particulare tantum: spectat autem imperium ad eam potentiam, quæ respicit finem universalem suppositi, sub quo, cum contineantur bona particularia, seu fines particulares, ideo pertinet ad voluntatem reliquas potentias movere ad bona illa particularia supposito congrua comprehensa sub universali.

496. Si petas secundò, in quo consistat causalitas imperij præfati in actus imperatos. Respondeo contra aliquos apud Izquierdo de DEO D. 30. n. 609. non esse modum superadditum imperato, quia hujus nullum est fundamentum, aut necessitas: nec esse actionem physicam productivam actus imperati essentialiter pendentem ab imperio contra alios, quia voluntas potest reflexè velle non solum actum imperatum, sed etiam physicam hujus effectiorem; ergo non minùs hæc, quàm actus imperatus est indifferens, ut dependeat ab imperio voluntatis: nec consistere in hac veritate conditionatâ, si actus imperans non existeret, non existeret imperatus contra Ripald. quia imperium ex sua essentia est, vel inclinatio (quando imperium est inefficax) vel impulsio seu necessitatio voluntatis (quando imperium est efficax) in actu primo ad actum imperatum; ergo sive sit efficax sive inefficax, non po-

R. P. Karch. Diff.

test non voluntatem vel impellere, vel inclinare ad actum imperatum, sive deinde adsit, sive non adsit dicta veritas conditionata.

Quare dico cum cit. Izquierdo *nn.* 617. causalitatem imperij in actum imperatum aliud non esse, quàm coexistentiam imperij, & actus imperati, aut actionis, quâ physicè producit actus imperatus.

Ratio est, quòd imperium influere in actum imperatum non sit realiter aliud, quàm hunc effici à voluntate inclinâtâ, aut impulsâ per imperium ut formam physicè informativam voluntatis, sed hoc nihil est aliud realiter præter physicam amborum coexistentiam.

Hinc plura imperia sive inefficacia, sive efficacia, sive partim efficacia, partim inefficacia omnia simul influere possunt in actum imperatum. Ratio quia inefficax præsentè efficaci non amittit suam physicam Entitatem, ergo nec vim inclinativam voluntatis, utpote indistinctam à sua entitate receptâ in voluntate. Unde sicut per omnes inclinatio, & impulsio in concursu duorum efficacium est duplo major, ita in concursu efficacis cum inefficaci est partialiter major, cum certum sit totum esse majus sui parte.

Unde sicut cognitio indifferens, à quâ dependet actus imperatus, in hunc influit, sive hic fiat liberè, sive necessario, ita imperium inefficax influit in imperatum etiam dum hic necessariò ponitur.

Dices imperium inefficax influit in eum duntaxat actum, quem habet pro objecto, sed pro objecto habet imperatum, ut liberum, non ut necessarium,

B b b

ergo.

ergo. Respondeo negando minorem: obicitur enim illi solum substantia actus imperati, sicut hæc obicitur efficaci; agimus enim de dependentia imperati, quatenus hic est objectum utriusque imperij, sed imperatus ut liber non est objectum efficacis imperij, ergo præcisè quoad substantiam.

Concludo imperij influxum in actum imperatum non esse physicum, quia hujus nulla est necessitas aut ratio positiva, uti patet ex refutatis opinionibus, sed esse moralem quatenus movet, inclinatur, seu necessitat potentiam executricem ad physicè efficiendum actum imperatum: vel dic concurrere in genere causæ formalis, quatenus informando voluntatem hanc trahit, vel necessitat, ut ponatur actus imperatus: si sit efficax, necessitat, inefficax verò inclinatur potentiam relictâ eidem potestate resistendi.

497. Colligitur primò voluntatis dominio non subesse intellectum quoad apprehensiones simpliciter primas, quia ferri non potest, nisi in præcognita ab intellectu, hic autem ante apprehensiones simpliciter primas nihil præcognoscit.

Colligitur secundò. Voluntatis dominio parere intellectum quoad cogitationes secundas, ut per has in objectis apprehensis consideret has, illasve rationes, & formalitates accuratiùs: hoc ipsum tamen jubere non potest independentem ab aliquâ præviâ cognitione saltem confusâ ejusmodi considerationis v. g. sæpe illa simpliciter prima cogitatio immittitur à DEO, aut Angelo, bono, aut etiam malo, aut excitatur ab objecto

sensus externi e. g. mortui cadaveris: habitâ cogitatione mortis intellectus judicat expedire magis rimari mortem, hujusque effectus, voluntas perceptâ hæc intimatione mandat intellectui, ut amplius perpendat.

Illud mandatum intellectus mox percipit, ac exequitur, ope phantasiae ob connaturalem cum hæc Sympathiam, habet phantasia multiplices rerum sensibilium species, ut in casu proposito de cadavere, &c. phantasia utens speciebus elaborat phantasmata apta deservire intellectui ad discernendum, ab his intellectus ob Sympathiam, quam cum eo habet phantasia, necessariò incipit cogitare, ac discurre de objecto eodem per phantasiae proposito.

Colligitur terriò, quod intellectus judicet aliquid absolute esse verum, aut falsum, multum dependet ab affectu, nam quisque pro affectus diversitate libenter judicat, uti experimur quotidie: hinc enim ortum habet, quòd de re eadem sub motivis jisdem propositâ diversis, diversa forment dictamina ob diversitatem affectus, quo in eam feruntur, sic *Joan. 7.* de Christo erat multum murmur dicentibus alijs, quia bonus est, alijs negantibus, sed seductorem turborum appellantibus: etsi omnes interfuerint ejus concionibus, ac spectarint miracula patrata.

Ex simili affectu nascitur pertinacia heterodoxorum; argumenta enim, quibus eorum Religio innitur comparata ad fundamenta nostræ fidei carent omni soliditate, at quia malè affecti sunt huic ob servitatem, quam apprehendunt in disciplina Catholica ob Confessiones, je-

Junia &c. hinc avertunt intellectum, ne rimetur exactius fundamenta fidei nostræ, e contra impellunt, ut inhareat fundamentis suæ hinc pertinaciter repugnant.

Colligitur quartò appetitum sensitivum non subijci voluntati quoad motus primò primos conformiter resolutioni datæ *num. 493. ad quæst. 3.* Pro quo distinguendi sunt triplices motus sensuales, seu appetitûs sensitivi, circa objectum bonum sensibile, delectabile, vel molestum à potentiâ imaginativa cognitum, nempe primò primi, secundò primi, & secundò secundi. Primò primi anteverunt omnem usum rationis, & consensum voluntatis, & idè carent omni culpâ. Secundò primi sunt, quos intellectus, seu ratio advertit advertentiâ imperfectâ, & cum consensu insufficientibus ad mortale, sufficientibus tamen ad veniale. Secundò secundi dependent à plena advertentiâ, & consensu sufficiente ad mortale, & idè hi in materia morali gravi semper sunt mortales.

Proportionaliter similis triplex rationalis motus reperitur etiam in appetitu rationali, seu voluntate circa objectum honestum, vel turpe ab intellectu propositum. Rationales motus primò primi sunt actus elicitus à voluntate directâ per advertentiâ rationis insufficientem ad culpam, & meritum, ut si Ratio non sufficienter advertat ad partem, à quâ dependet libertas. *Vasq. 1. 2. D. 38. num. 23. & D. 39. num. 19.* ut si intellectus proponat voluntati objectum suum sub ratione jucundi, aut molesti, tunc enim voluntas naturaliter, seu necessariò moveri solet ad motum delectationis, aut

tristitiæ. Si honestum aut turpe proponatur cum advertentiâ imperfectâ, consensus aut dissensus in voluntate sequens nequit imputari ad peccatum mortale, aut ad meritum condignum præmio supernaturali; talis enim motus rationalis dicitur secundò primus; erit autem secundò secundus, proinde sufficiens ad mortale aut ad meritum condignum supernaturali, si adsit perfecta advertentiâ, & plenus consensus.

Nunc patet corollarij quarti veritas: è contra motus secundò primi subijciuntur voluntati imperfectè, plenè autem secundò secundi. Totum hoc applica voluntati respectu sui motus rationalis triplicis.

Colligitur quintò quamvis appetitus sensitivus non subjacent fræno voluntatis in motibus primo primis quoad horum excitationem, dependet tamen quoad eorundem continuationem, potest enim hos interrumpere divertendo phantasiam ad aliud objectum, aut si intellectus errorem corrigat, ut quod prius apparebat bonum, nunc appareat malum: sic appetitus sensitivus Evæ ab appetitione esus pomi aspectu pulchri non poterat reprimi, nisi mutatione phantasie proponendo huic esum pomi ut causam mortis, & pœnæ aeternæ, proinde ut malum.

Hinc est consultissimum in vehementissimis tentationibus phantasiam aliò inflectere, aut corrigere, ut in dubijs fidei, blasphemijs in DEUM, carnalibus imaginationibus, scrupulis &c. quibus feliciter non resistitur, quàm declinando positivam pugnam non nitendo

directè contra, sed phantasiam abstra-
hendo à talibus objectis ; quare frustra
fatigant caput tentati repellendo tentatio-
nes, interea relinquunt cursum imagina-

tiva veraciter representantis tentationis
objectum, sunt hi similes ijs, qui vo-
lunt sistere cursum aquæ, quin ob-
struant scaturiginem.



§. VIII.

*De voluntatis objecto formali, & materiali ubi occasio-
naliter propositio octava & nona damnata ab Innoc. XI,
fuisse declaratur.*

499. **C**ertum est, quòd objectum
adæquatum voluntatis sit tum
bonum, tum malum, hoc fugit, illud
appetit: sicut totale objectum intellectus
est verum & falsum, istud negantium
actum, illud affirmantium. Ratio,
quòd non solum prosequamur bonum,
sed etiam aversemur malum.

Tria sunt genera bonorum, hone-
stum, jucundum, seu delectabile, & u-
tile: sicut malum omne, vel est inhone-
stum, vel doloriferum, vel perniciosum
utili oppositum quemadmodum sensibilis
pulchritudo consistens in decora partium
proportionem blanditur oculis, eosque ob-
lectat in rebus tum artefactis e. g. pictu-
ris, ædificijs &c. tum naturalibus, puta
floribus, arboribus &c. ita plurimæ
actiones humanæ, nempe actus virtutum
omnium habent decoram proportionem,
ac convenientiam cum voluntate huicque
arrident: huiusmodi decor est spiritua-
lis pulchritudo, & decencia, quam hone-
statem dicimus, eaque secundum om-

nes sita est in convenientia, & conso-
nantia cum ratione recta.

Jucundum bonum est, quod sua-
viter afficit, vel corporeas potentias, aut
animum, unde est aliud sensibile, aliud
insensibile, seu spirituale.

Utile bonum est similiter duplex,
unum sensibile, sive corporeum condu-
cens ad bonum jucundum corpori, alter-
rum, insensibile, seu spirituale condu-
cens ad honestatem: sicut pecunia non
desideratur ratione sui, seu in quantum
est ponderosum metallum, sed ut est ma-
teria utilis ad largitionem honestam aut
prodigam. Hinc bona tam jucunda
quàm utilia sunt simul honesta, si in ijs
velut in fine non quiescat voluntas, sed
his utitur ut medijs ad finis honesti conse-
cutionem.

Omnia dicta tria genera bonorum
sunt respectiva relatè, vel ad naturam ra-
tionalem, ut bonum honestum, bonum
autem jucundum comparativè, vel ad na-
turam rationalem aut ad sensus corporis.
Utile

Utile vero refertur ad utrumque praefatum bonum.

Pariformiter tria genera malorum sunt respectiva, sic inhonestum oppositum bonesto est id, quod disconvenit cum recta ratione, ac natura rationali; doloriferum oppositum jucundo malè afficit, seu affligit potentiam, quam afflictionem dolorem dicimus, si affligitur voluntas, est dolor spiritualis, si potentia aliqua corporis dicitur dolor corporalis. Malum perniciosum pugnat cum utili impedit enim finis consecutionem, aut saltem retardat.

500. Præter respectivam bonitatem, & malitiam datur bonitas absoluta, nam, ut bene discurrit Izquierdo *de Deo D. 35. à num. 155.* ad essentiam omnis virtutis moralis spectat per se, ac directè intendere, procurare ac ponere bonum aliquod ut finem proprium. Illud bonum quod quævis virtus intendit ut finem proprium præter explicatam honestatem relativam ad personam, quam respicit velut subjectum, cui congruit, includit bonitatem absolutam, quæ in se bonus est virtutis finis proprius: omnis enim virtutis actus est ens in se bonum bonitate etiam absolutâ consistente in quadam velut venustate, nobilitate seu dignitate ejus, quia amamus virtutem etiam in inimico, ubi ratio amandi nequit esse inimicus, sed ipsa virtus, ergo hæc est secundum se amabilis.

Hinc pro specifica diversitate finium est etiam hæc absoluta bonitas specie diversa. Ex opposito malitia absoluta consistit in turpitudine, ignobilitate, ac indignitate finis oppositi vitij virtuti. His præmissis,

501. Quæres primò, an tam bonum quam malum sit objectum formale, seu motivum voluntatis, formale inquam, quia secundum omnes utrumque est objectum materiale, ambo enim terminant voluntatem, bonum medio actu prosecutionis, malum medio actu fugæ, seu aversionis. Item omnes fatentur, quòd formale objectum voluntatis sit bonum. Dubium superest, an adæquatum motivum sit tantum bonum non solum respectu actuum prosecutionis, sed etiam fugæ, ac detestationis.

Ante resolutionem notandum, quòd actus voluntatis alij sunt merè prosecutivi formaliter, alij merè aversativi, seu puræ fugæ: priores dicuntur, quibus ita amatur bonum, ut nullo modo formaliter odio habeatur malum; posteriores, quibus ita odio habetur malum, ut nullum omnino formaliter mediatè, aut immediatè ametur bonum, sive tanquam *finis qui*, id est, tanquam res volita, sive tanquam *finis cui*, id est, tanquam persona, cui bonum amo, vel malum nolo. Alij actus sunt mixti, id est, tales, quibus ita odio habetur malum, ut simul ametur bonum, ut si propter amatam bonitatem DEI detestor peccatum.

Dari actus purè prosecutivos est indubitatum, amor enim boni non est necessariò formaliter odium oppositi mali, utrum vicissim odium formale mali necessariò sit amor formalis boni oppositi est controversum. Affirmat Soarez 1. 2. *D. 1. de Passionibus S. 7. num. 2.* Esparza *de Peccati. quest. 82.* & ideo hæc opinio negat, quòd sola malitia possit adæquatè movere ad sui odium. Econ-

trà Lugo de Pœnit. D. 1. S. 2. Arriag. de Pœnit. D. 3. S. 3. Rhodes de Pœnit. D. 1. quæst. 1. S. 3. §. 3. negat quòd odium formale male sit necessariò amor formalis boni, consequenter affirmat, quòd voluntas pro suo totali motivo possit habere puram malitiam, quæ voluntatem moveat ad sui odium.

Respondeo ad quæstionem, & dico cum postrema sententia malitiam solam posse esse objectum formale movens voluntatem ad sui odium. Probat, quod de se disconvenit voluntati, se solo sufficit movere voluntatem ad sui odium, sed malitia de se sola disconvenit voluntati, ergo se solà potest movere voluntatem ad sui odium.

Confirmatur bonitas saltem absoluta secundùm se sufficit ad amorem sui formalem, quin formaliter oderit malitiam oppositam, ergo etiam malitia absoluta sita in turpitudine, ignobilitate, sceditate, ac indignitate secundùm se sufficit ad formale sui odium, quin formaliter moveat bonitas absoluta opposita ad amorem sui: formaliter, inquam, quia formalis recessus ab uno termino, seu extremo est necessariò virtualis accessus ad terminum, seu extremum oppositum, fugiens enim formaliter tenebras, æquivalenter amat lucem: odium morbi æquivaleret amori fanitatis, id est, formale odium morbi est amor virtualis fanitatis, quatenus supposita aversione à morbo, proposita fanitas excitat ad formalem sui amorem.

Confirmatur secundò voluntas saltem partialiter potest moveri à malo ad odium sui, ergo etiam adæquatè. Consequentia probatur, quia argumenta sen-

tentiæ oppositæ si probant non posse malum esse motivum adæquatam ad odium sui, urgent etiam non posse esse motivum parziale. Antecedens ergo probatur, voluntas non ideò præcisè detestatur tenebras, quia lux opposita bona est, sed etiam ideo, quia tenebræ impediunt lucem, seu excludunt, si enim hanc non excluderent, eas non odisset.

§ 02. Fundamentum principale sententiæ oppositæ est hoc: si malitia esset per se motivum totale, aut parziale voluntatis, illa per se tenderet in sui destructionem, nam per se tenderet, & inclinaret voluntatem ad sui odium, seu displicentiam, aversionem, ac detestationem, sed odium malitiæ, hujus displicentia, detestatio, ac ab ea aversio est per se destructio malitiæ ergo per se tenderet ac inclinaret ad sui destructionem, sed est impossibilè, ut per se tendat ad sui destructionem, quia per se non potest tendere ad procurandum sibi malum.

Respondeo malitiam quæ per se movet ad sui odium, per accidens tantùm tendere ad sui destructionem, per se enim tendit ad esse suum conservandum, hoc enim malitiæ bonum est, estò respectu voluntatis sit malum, hoc autem per accidens se habet respectu ipsiusmet mali, proinde quòd voluntas illud, si ei proponatur, aversetur, conaturque destruere, est pariter malo accidentale, siquidem nec exigit objici voluntati, neque illi objectum peit sui corruptionem.

§ 03. Quæres 2. An honor moderatus ex re bona secundùm se sit honestè appetibilis, seu ut finis; est autem *honor testimonium excellentia, quæ*

est in homine maximè secundum virtutem, ita S. Th. 1. 2. q. 7. art. 7.

Dixi primò moderatus, quia si appetatur ob bonum non conveniens v. g. doctrinam, quam appetens non habet, aut si appetat majorem, quam sit doctrina sua, est culpa venialis, Less. de Just. lib. 3. cap. 2. num. 22. ut si quis aspiret ad officium honorabile, quo est indignus, aut cupiat præferri multò dignioribus, quæ ambitio si fit cum injuria alterius, erit, mortale.

Dixi secundò ex re bona, quia quærens honorem ex re illicita pro gravitate materiæ est ambitio mortalis, aut venialis. Idem dic, si quis ut acquirat, aut conservet honorem, adhibeat media illicita, cit. Less.

Ad quæstionem Respondet Lessius affirmativè hisce verbis: quòd si honor moderatè appetatur ex re bona e. g. studijs, virtute &c. nullum sit peccatum, etsi nullus alius finis honestus spectetur, quia est objectum indifferens, proximè accedens honesto, cum sit testimonium, & imago quædam virtutis, allagatque S. Th. 2. 2. quæst. 131. ar. 1. ad 3. ubi asserit honorem debito modo appetitum alios provocare ad bonum, & revocare à malo. Confirmatur præmium virtutis est per se honestè appetibile, sed honor est præmium virtutis, ergo.

Respondeo negativè cum S. Th. loco cit. in fin. Illi inquit qui solùm propter honorem vel bona faciunt, vel mala vitant, non sunt virtuosì. Unde in corpore dicit, quod homini eatenus debeat placere testimonium suæ excellentiæ, quòd ab alijs exhibetur,

quatenus ex hoc paratur sibi via ad hoc quòd alijs prosit: & hoc intendit ad 3. sub initium verbis allegatis pro Lessio, nempe quòd honor moderatus honestè sit, appetibilis ut via, seu ut medium utile ad bona externa, puta dignitates, officia, quibus DEO, & Reipublicæ servire possumus consequendas, vel aliorum salutem spiritualem DEIque gloriam promovendam: quo sensu locutus est Christus Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem.*

E contra si appetitur ut finis, est inanis gloria, uti pulchrè dislerit S. Th. qu. 132. art. 1. in Corp. cujus verba sunt: *Quòd quis bonum suum cognoscat, & approbet, non est peccatum, dicitur enim prima ad Corinth. 2. Nos autem non Spiritum mundi accepimus sed Spiritum, qui ex DEO est, ut sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis. Similiter etiam non est peccatum, quòd aliquis velit bona opera sua ab alijs approbari: dicitur enim Matth. 5. luceat lux vestra coram hominibus. Et ideò appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosum. Sed appetitus inanis, vel vane gloriæ vitium importat, secundum illud Psal. 4. ut quid diligitis vanitatem. Potest autem gloria dici vanatè tripliciter. Uno modo ex parte rei, de quâ quis gloriam querit: puta, quòd quis gloriam querit de eo, quòd non est, vel de eo, quòd non est gloriæ dignum, sicut*

sicut de aliqua re fragili, & caduca. Alio modo ex parte ejus à quo quis gloriam querit, puta hominis, cujus iudicium non est certum. Tertio modo ex parte ejus qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriae suae non refert in debitum finem, puta ad honorem DEI, vel proximi salutem. Ex quibus verbis aperte patet appetitum honoris etiam moderati secluso fine honesto non posse excusari à peccato, uti arguit etiam Laym. Lib. 3. Theologiae Mor. §. 3. num. 13. appetitus enim objecti indifferentis non relati ad finem honestum est inordinatus, uti patet ex textu S. Th. & amplius constabit ex dicendis, actus enim humani indifferentes per se non carent culpâ. Et sic solutum est argumentum Lessij.

Ad confirmationem concedo cum S. Th. 1. 2. q. 2. Art. 2. ad 1. virtuosos honeste operari propter praemium virtutis, at ibi negat honorem esse praemium virtutis, sed eos ab hominibus honorem accipere loco praemij, cum non habeant quid majus, quod dent; verum autem praemium virtutis sit beatitudo, propter quam virtuosus operatur, si autem propter honorem operarentur, iam non esset virtus, sed magis ambitio.

504. Quaes tertio an delectatio gustûs, aliorumque sensuum externorum oblectamenta, ut pulchritudo rei visae, odor rei odoriferae, suavitas concentûs, mollities rei tactae, voluptas appetitûs sensitivi in opere conjugij pro-

pter se licite appeti possit. Affirmativa est complurium apud Dian. p. 3. tr. 5. Res. 6. Perez de Matr. D. 18. §. 7. num. 9.

Respondeo solam voluptatem in opere conjugij, aut solam voluptatem in cibo, & potu usque ad satietatem non posse esse finem, seu motivum licitum voluntatis, est nunc certum ex duplici propositione damnata ab Innocentio XI. nempe 8. & 9. prior ita habet: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*: Posterior: *Opus conjugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ & defectu veniali*.

Rationem utriusque dedi in tractatu Canonist. num. 117. & seq. quod inversio ordinis à natura intenti in delectabilibus sit peccaminosa, sed si voluptas, seu delectabilis pulchritudo, ac oblectabilitas rerum sensibilibus assumatur sola pro motivo voluntatis, invertitur ordo à natura intentus, nam natura voluptatem, pulchritudinem &c. non intendit ut finem, sed ut medium, etsi enim secundum se non sit illicita, est tamen indifferens (honesti enim esse non potest, utpote brutis communis) nihil autem indifferens potest esse finis voluntatis per dicta num. 503. & dicenda num. 578.

505. Declaratur responsum universim pro omnibus delectabilibus, an, qualiterque licite appeti possint. Omnia delectabilia habent pro Regula necessitatem congruentiae, ergo omnia assumenda

da sunt secundum finem, ad quem sunt destinata, nempe ut sublevetur necessitas, sic concentus Musicus est ordinatus, ut sublevetur tristitia, olfacimus aromata, quia sunt utilia ad caput confortandum, res pulchræ aspiciuntur ob utilitatem comparandi de jis experimentalem scientiam, hæc enim, dum nihil nocet, utilis est ad rectam vitæ gubernationem. Præterea caret culpâ præfata tria assumens ob honestam recreationem, aut in laboribus ob naturæ levamen, Cardenas *Dissert. 7. num. 37.* damnans venialis culpæ illa oblectabilia assummentes propter solam delectationem, deficiunt enim venialiter à præscripto temperantiæ: & ideo numero sequenti asserit in proposito. 8. damnari virtualiter istam: *Nullum est peccatum audire Musicam propter solam delectationem*: quia illa propositio virtualiter damnatur, ex qua evidenter infertur formaliter damnata: sed propositio octava evidenter infertur ex hoc: *Nullum est peccatum audire Musicam &c.* si hoc est licitum, etiam necesse est licere comedere, & bibere propter solam voluptatem.

Verùm huic doctrinæ postremæ videtur apertè contrariari P. Dominicus Viva ad præfata propositionem 8. & 9. *nam num. 6.* post medium ita loquitur: verum quidem est, quod possit propter se intendi directè oblectatio aliqua, quæ reperitur in ludo, in olf. Au floris, in auditione Musicæ, & in alijs actibus moraliter indifferentibus, ut ex aspectu campi vernantis, ex ambulatione in pomario, *Addit. n. 9. & 10.* esti non fiant ex motivo, quia non sunt prohibi-

R. P. Karch, Diss.

ti, aliòve motivo honesto: reddítque rationem hujus, ac disparitatem, cur delectatio gustûs ex cibo, & potu, usûsque conjugalis nequeat directè, ac propter se intendi, secûs oblectatio in præfatis objectis sensuum aliorum, quòd voluntas, quæ ex his quæritur, sit à natura ordinata ad hoc ipsum, ut animum relaxet, conducit enim ad vitæ conservationem, id est, delectatio ejusmodi est conservationi vitæ consona, estque apta animum ad cœlestia trahere, ècontra voluptas gustûs, usûsque conjugalis potiùs retrahit, nec est instituta à natura ad relaxandum animum, sed finis comestionis, & potûs est conservatio individui, finis actûs conjugalis est generatio prolis, seu conservatio speciei: idcirco invertitur ordo naturæ, quando horum actuum delectatio directè ratione sui intenditur, ita Viva locis citatis.

506. Dices directè intendens solam ex aspectu Rosæ, aut ex auditu Musicæ &c. voluptatem operatur instar belluæ; ergo peccat. Respondeo nego assumptum, quia homo intendens eam advertit, quòd sit moderata, & quòd non sit prohibita, esto non sit necesse, ut ideo operetur, si detur actus in individuo indifferens, bellua non advertit sic ad voluptatem.

Instabis ergo homo delectatione ejusmodi fruitur, non utitur; atqui asserere quòd appetitus naturalis suis actibus licitè fruatur, damnatur in propositione 8.

Respondeo cum Viva *num. 7. juncto 13.* Negando consequentiam: inter *frui*, & *uti* est differentia in eo, quòd fruitio sit circa finem, usus circa media.

Ccc

Hinc

Hinc Seneca *Lib. de vita beata* cuidam Epicuri Discipulo scribit: *Tu voluptate fruieris, ego utor*: delectatio ex objectis sensuum externorum excepto gustu est quidem finis explicitè directè intentus sed non ultimus, nam implicite ordinatur ut medium ad vitæ conservationem: idcirco homo se oblectans pulchritudine Rosæ, hujus fragrantia, suavitate Musicæ non fruitur, quamvis expressè eam solam intendat cum advertentia, quòd non prohibeatur, sed utitur, utpote de se ordinabili ad finem debitum.

Ego sententiam Cardenas cum opinione Patris Viva concilio, censens esse veram Patris Viva hucusque expositam, nempe ut delectatio capienda ex visu Rosæ, &c. sit finis non ultimus, sed ulterius implicite ordinatus ad vitæ conservationem, Cardenas verò opinio procedat de delectatione ut fine ultimo negativè, seu non subordinato etiam implicite vitæ conservationi.

507. Quid sentiendum de causali illa propositionis 8. *quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Hæc causalis est universalis, continens falsissimum principium: nam ex illo inferitur non modo propositio damnata ista: *Licitum est comedere usque ad satietatem propter solam voluptatem*, sed etiam fas esse appetitui quolibet actu suo frui, puta ebrietate, libidine præpostera. Et ideo Didacus Hurtadus ad hanc propositionem in *Reformata Theolog. Dissert. 6. nu. 2.* ait eam esse plusquam scandalosam, & perniciosam, cum non sit creaturæ rationalis, sed belluarum eò ferri, quocumque inclinatur appetitus naturalis, apud quem nulla est discretio

actus, & delectationis honesta à brutali & turpi. Hinc ortum habet continua lucta carnis adversus Spiritum concupiscentis, & Spiritus adversus carnem, nam de licitis actibus non luctamur, nisi fortè ad mortificationem subtrahendo nobis etiam ex jis, quibus licitè possemus uti: qua propter fortitudo, temperantia, continentia, aliæque similes virtutes vi sui specialis muneris sunt occupatæ in opprimendis passionibus, ne ad illicita pertrahant.

Meritò igitur proscripta est dicta propositio ob causalem adhibitam in sua universalitate, cum ex ejus subsistentia inferatur licentia fruendi quibusvis actibus sensuum externorum etsi fædissimis; debere autem dictam causalem universaliter summi est manifestum, alias ineptè, & contra Regulas Dialecticæ ex ea concluderet, quod liceat comedere, & bibere ad satietatem ob solam delectationem: nam si causalis esset particularis, id est, si intelligeretur de aliquibus tantum actibus appetitus naturalis, ineptissimè propositio damnata esset illata, siquidem ex particularibus nihil legitime concluditur: ex hoc enim, quòd interdum licitè intendatur delectatio, non est bona hæc conclusio, ergo licita est cibi, & potus sumptio ob solam voluptatem, usque ad satietatem.

508. Univerfa doctrina Superior reducitur ad principium universale quo utitur S. Th. 2. 2. q. 141. Art. 6. nimirum, quòd in delectabilibus Regula temperantiæ sit sumenda secundum necessitatem vitæ. Unde cum morales virtutes consistant in ordine rationis, ordo autem rationis stet in eo, quòd aliqua

ordinet ad finem: hinc temperantia una ex virtutibus moralibus ordinat delectabilia ad eum finem, quò subleventur necessitates hujus vite.

Audiat de hoc Angelicus loco citato præceptor: *Omnia autem delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vite necessitatem, sicut ad finem: & ideo temperantia accipit necessitatem hujus vite, sicut Regulam delectabilium, quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vite requirit.* Ubi per *tantum* eis utatur, reprobatur causalem propositionem damnatam volentem quòd appetitus naturalis licitè fruatur suis actibus.

Pergit S. Doctor in Responso ad 2. declarando necessitatem ad obviandum scrupulis: *Necessitas humana vite potest attendi dupliciter, uno modo secundum quod dicitur necessarium illud, sine quo res nullo modo potest esse, sicut cibus est necessarius animali. Alio modo secundum quod dicitur necessarium illud, sine quo res non potest convenienter esse. Temperantia autem non solum attendit primam necessitatem, sed etiam secundam.* Adhuc clariùs necessitatis hujus gradus exponit q. 14. de malo Art. 1. ad. 1. *Regula rationis hæc est, ut homo sumat cibum, secundum quod convenit sustentationi nostræ & bonæ habitudinis hominis,*

& conservationi eorum, cum quibus vivit.

Ex priore loco D. Th. Cajet. ad 2. sic concludit: *Qui convivium celebraret non consonum gradui suo, & convivarum juxta facultates, & honestatem non esset factum satis congruentie presentis vite, ac conversationis.* Necessitas ergo congruentie presentis vite est Regula temperantiae, secundum quam etiam imperat alijs virtutibus puta liberalitati, urbanitati, & sic qua alia opus quandoque est.

509. Dubium est an damnata censeatur etiam ista propositio: *Licitum est comedere, & bibere moderatè ob solam delectationem negativum.* Viva n. 6. imputat Moyx in *Select. tr. 6. D. 2. q. 3. nu. 5.* alijsque apud eundem. Ipse affirmat ob rationem datam *num. 504.* & deinceps datque ulteriorem rationem: quia bonum, quod non est proprium hominis, in quantum homo est, sed est commune homini, & belluis, non videtur gratia sui appetibile siquidem à natura illud propter finem altiorem intenditur in homine, & ideo homo propter hanc finem à natura intentum debet illud intendere, hujusmodi autem est voluptas in cibo, potu, ac in veneris; ergo neutra potest propter se intendi.

Contra est quod Moya cum ab ecclis dictam propositionem ut probabilem sustineat omisi particula *Solam*: sic enim asserit *licitam esse delectationem moderatam gustus (sicut & olfactus & auditus) directè intendere & propter illam*

illam captandam, comedere, & bibere, docent non pauci, nec infima nota Doctores, quorum sententia probabilis est.

Hanc probabilitatem non esse damnatam defendit Card. à num. 7. contra Filguera: quia propositio Moyana nec æquivaleret damnatæ, nec damnatam infert non æquivaleret, nam damnata plus affirmat, quàm Moyana, siquidem damnata asserit fas esse comedere &c. usque ad satietatem, & propter solam voluptatem, neutrum dicit Moyana: sed minus affirmans non æquivaleret plus affirmanti. Deinde terminus *usque ad satietatem* opponitur cibo moderato, seu necessario ad sustentationem, sed propositiones constantes terminis repugnantibus non sibi æquivalent: quæ ratio etiam probat ex Moyana non inferri legitime damnatam: cum hæc defendat esse licitam comestionem usque *ad satietatem* propter *solam voluptatem*, utrumque reprobat Moya. Nec refert, quod Moya dicat directè intendi posse delectationem, nam hæc non intenditur ut finis ultimus, sed ut subordinatus alteri, ita ut voluptas capiatur directè quidem, at non ultimo, sed propter finem sustentationis vitæ: sic intelligendam esse propositionem Moyanam, colligitur ex eodem, dum asserit, fas esse intendere comestionem necessariam ad vitæ sustentationem, ergo sic edens saltem virtualiter intendit principaliter vitæ sustentationem, nam cum hæc est necessaria comestio sive moderata connexa.

Respondedo me subscribere cum Cardenas Patri Moyæ, concedere tamen as-

sertum Patris Viva, quia in eo cum sola voluptas sit finis ultimè intentus, excluditur finis verus, qui est necessitas sustentationis exposita à S. Th. n. 508.

Claudo hunc §. notando cum Carden. num. 24. quod vox *satietas*, cuius fit mentio in propositione octava, duplex habeat significatum: primum est, quod satisfaciat fami: alterum est, quod importet sumptionem cibi in majori quantitate, quàm postulet necessitas sustentationis vitæ, & in hoc secundo sensu putat illum summi in damnata propositione. Unde dum Pater Viva n. 13. sub principium admittit, quod comestio usque ad satietatem ordinata ad finem honestum, non sit illicita, videtur satietatem summere in primo sensu: è contra dum num. 10. concedit, quod licita sit comestio ad satietatem ordinata ad vomitum necessarium e. g. recuperandæ salutis sumpsit in secundo sensu.

§ 10. Adde ex Viva num. 10. ubi respondet ad argumentum opinionis impugnatæ à num. 504. ductum ab actibus moralibus indifferentibus in individuo: ut si quis accedat ad ignem, ut se calefaciat, vel si deambulet in pomario intendens solam delectationem illam naturalem, quæ inde percipitur licitè agit, ergo pariter licitè quis ad satietatem comedit, & utitur conjugio ob solam voluptatem; quam consequentiam probat sic contraria opinio, quia magis, & minus non variat speciem, proinde si actus antecedentis sunt actus morales indifferentes erunt etiam moraliter indifferentes actus Conclusionis.

Ad hoc argumentum negat consequentiam, hujusque probationem, falsum enim

enim est, quod magis, & minus in moralibus non varient speciem; cum enim virtus moralis consistat in mediocritate, actus exerrantes à mediocritate per excessum, aut defectum nequeunt esse in specie virtutis, sed vitij: sic si minus, aut plus detur, quam oportet, non est actus liberalitatis, sed prior est avaritia, posterior prodigalitat. Similiter est actus loquacitatis loqui magis, quam expedit ad convenientem recreationem oppositus virtuti, quam D. Th. 2. 2. *quest.* 143. *art.* 1. Austeritatem vocat.

Actus morales indifferentes in individuo *fi*ctetur non damnari *num.* 10. *in fin.* & *num.* 13. in principio in damnatis propositionibus, cui assentitur Cardenas

num. 15. dans hanc rationem quod ejusmodi actus non possint esse antecedens, ex quo legitime deducatur propositio damnata alterutra: non enim valet hæc consequentia: licite possunt elici actus morales indifferentes in individuo, ergo licitum est comedere ob solam voluptatem; nam illicitas consequentis hujus stare potest cum licitate antecedentis, nam consequens pervertit finem à natura intentum, secus antecedens, sed præcisè omitterit finem honestum, cujus intentionem esse necessariam in omnibus actionibus moralibus non agnoscit, de quo infra suo loco.

* * *



ARTICULUS II.

De voluntario Libero actuali morali.

511. **D**isputatur in Scholis, quæ sint constitutiva actus primi proximi liberi definiti *num.* 450.

Respondi olim libertarem actus primi proximi esse denominationem partim intrinsecam voluntati, partim alijs realiter ab ea distinctis. Primò igitur requiritur voluntas. Secundò, omnipotentia DEI applicata. Tertiò, habitus infusus respectu actuum supernaturalium, aut aliud principium extrinsecum supplens defectum habitus physicè influens (prout accidit in peccatore spoliato habitibus supernaturalibus infusis) ac gratia actualis

moraliter influens, nempe ex parte intellectus illustratio supernaturalis intellectum illuminans, & ex parte voluntatis inspiratio.

Tam illustratio, quam inspiratio sunt actus producti à DEO in nobis sine nobis liberè cooperantibus, qui actus nos excitant, alliciunt, & invitant ad liberè consentiendum, in hoc enim situs est illorum influxus moralis in actus supernaturales salutare, nulla namque necessitas est illis attribuendi virtutem physicam activam, uti fert communior opinio Soarij *lib.* 3. *de Auxillis gratia,* *cap.*

cap. 4. à num. 11. contra Mol. & alios : si actus ejusmodi à DEO productus detegit nobis representando, quod nos latebat, est actus intellectus proprio nomine à Concilijs dictus illustratio ; si verò reddit nobis bonum opus suave, quod prius non delectabat, aut abominabile ac ingratum malum opus, quod prius oblectabat, est actus voluntatis, dici- que consuevit inspiratio, impulsus, & tactus cordis, sive pia voluntatis affectio. Aliquando tamen nomine inspirationis venire illustrationem colligitur ex Trid. Sess. 6. can. 3. *nullum sine praveniente spiritus S. inspiratione posse credere, sperare, diligere, prout oportet.* ubi per inspirationem intelligitur illustratio : tam hæc quam illa sunt actus nobis non liberi, sed necessarij.

Quartò, actum primum proximum liberum constituit judicium objective indifferens ad oppositas rationes boni, & mali, quando est libertas contrarietatis, aut ad rationes contradictorias, aut proponens bonum cum defectu alicujus boni saltem relucens in ipso exercitio actus, uti fit in libertate contradictionis.

Quintò, ipsa possibilitas actus secundi. Sextò, negatio physica prædeterminationis. Ratio horum omnium est, quòd quocunque ex enumeratis deficiente deficiat actus primus proximus

liber, probabilius tamen est contra Oviéd. 1. 2. tract. 7. Contr. 1. p. 7. num. 56. inspirationem non esse simpliciter necessariam, nam voluntas post objectionem sufficienter propositum sine pia affectum sufficiens manet expedita non minus ad actus supernaturales, quam ad actus naturales ; sed hos potest elicere sine pia affectio naturali, ergo etiam supernaturales sine prævia inspiratione supernaturali.

Est etiam controversum de libertate actuali, sive actus secundi, an sit essentialis, & adæquatè intrinseca actui voluntatis libero, vel vero partim illi, partim potentia proxima libera proxime exposita : hoc secundum amplectitur communior non Soares, Vasq. Izquierdo de DEO. D. 30. à num. 768. & 785. & à 804. Primum placet Eparz. Haunold. lib. 2. Theolog. Scholast. à num. 177. & Joann. Bapt. Gormaz 10. 1. *Cursus Theolog. in tract. de Actibus Hum. D. 12. S. 1.* Primæ in Scholis prætuli secundam. Verùm cum ad præxim parum referat, sive libertas sit intrinseca soli actui, sive semiextrinseca ideo relinquo hæc speculationi Theologorum, meque confero ad practica.

* *

* *



§. I.

Quosnam actus voluntas elicit, ad quos omnes eorum
species reducuntur?

512. **O**Mnis actus voluntatis, vel est circa finem, vel circa media ad finem conducentia. Omnes sunt numero undecim; horum quinque circa bonum, ut amor, desiderium, spes, audacia, gaudium, sex circa malum versantur, ut odium, fuga, desperatio, timor, tristitia, sive dolor, ira. Nullus est actus voluntatis, qui non reducat ad aliquem ex his. Horum singulos breviter explicemus.

Amor latè sumptus est motus voluntatis in bonum; respicit bonum secundum se, id est, præcindendo ab ejus absentia, & à presentia, per primum, differt à desiderio, per secundum à gaudio.

Dixi latè, nam strictè acceptus est unio affectiva amantis ad amatum, seu inclinatio, ac impulsus voluntatis in ipsum bonum: quæ inclinatio præsupponit complacentiam voluntatis in bono cognito; hæc positâ inclinatione sequitur dictus impulsus in bonum, ac unio affectiva cum eodem: unde bene Aug. lib. 9. de Trin. *Amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror.* Est efficax aut inefficax, ut mox patebit.

Desiderium, est affectus voluntatis tendens in bonum absens, si hoc determinet voluntatem ad objecti desiderati executionem, dicitur efficax, inefficax, verò, sive simplex, si inclinatur ad executionem sine determinatione, sed relinquit voluntatem indifferentem; observandum tamen cum Vasq. 1. 2. D. 111. num. 12. etiam illud desiderium esse efficax, quod revera tendit in rem cum affectu, licet ratione alicujus circumstantiæ, aut periculi ab ea nunc retrahatur, adhuc enim ex vi sua est efficax ad hunc effectum e. g. ut malitiam accipiat ex opere desiderato.

513. *Spes*, ut sic est desiderium boni absentis ardui possibilis, & probabiliter futuri erigens, seu firmans animum adversus difficultates occurrentes circa ejus consecutionem: si desiderium sit boni supernaturalis præsertim nos beatificantis propter auxilium divinum promissum, desiderium tale est spes actualis Theologica. Hinc Trid. Sess. 6. cap. 6. docet peccatorem per spem erigi ad veniam consequendam. Quare spes versatur circa arduum non hanc apperendo, cum non sit bona, nec eandem fugiendo, seu propter illam resiliendo ab objecti prosecutione, alias non esset spes, sed despe-

desperatio ; ergo versatur contra illam appetitum erigendo , ut eam contemnat , ac superet.

Porro spes est duplex ; una est actus appetitûs sensitivi , hoc speramus bona sensibilia , altera est actus appetitûs rationalis , sive voluntatis , isto speramus bona purè Spiritualia. Hinc spes Theologica tendens in beatitudinem supernaturalem , quæ est bonum purè intelligibile , est actus voluntatis.

Infertur contra Calvinum , &c. spem Theologicam distingui à fide : illatio est de fide *ex 1. ad Cor. 13. Nunc autem manent tria hæc , Fides , Spes , Charitas* : si Spes non foret distincta à fide non remanerent tria , sed duo tantum. Confirmatur fides est actus intellectus , Spes est actus voluntatis.

Non obstat primò quod Spes dicatur fiducia : non enim talis dicitur , quasi sit actus fidei , sed quia fundatur in actu Fidei.

Non obstat secundò illud ad *Rom. 4. Credidit Abraham DEO , & reputatum est illi ad iustitiam , quia in Spem contra Spem credidit* : quo loco Fides , & Spes convertuntur invicem. Respondeo nego converti , verba enim illa credidit in Spem contra Spem significant Abraham credidisse , ita , ut etiam sperasset , esto naturalia motiva impellerent ad desperandum.

§ 14. Si petas an Spes sit actus concupiscibilis aut irascibilis potentia. Respondeo esse actû potentia irascibilis , nam ut tradit S. Th. 1. p. 9. 81. *Art. 2. in Corp.* in parte sensitiva , sive appetitu sensitivo sunt duæ appetitivæ potentia : una inclinans animam ad prosequendum bo-

num , & fugiendum malum , seu nocivum secundum se : & hæc dicitur potentia concupiscibilis. Alia verò per quam prosequimur bonum , & fugimus malum ut arduum , resistendo adversis , seu contrarijs , quæ impediunt bonum , & inferunt malum , & hæc dicitur potentia irascibilis : unde cum per spem erigamus nos in bonum ut arduum , sequitur spem esse actum potentia irascibilis.

Ex hac distinctione colligitur primò ex actibus undecim relatis *num. 512.* sex sequentes pertinere ad potentiam concupiscibilem : amorem , & odium , desiderium , & fugam , gaudium , & tristitiam ; ad irascibilem verò hos quinque spem , & desperationem , timorem , & audaciam , atque iram.

Colligitur secundò cum S. Th. 1. 2. *q. 25. Art. 1. in Corp.* quod spes supra desiderium addat quendam conatum , & quamdam elevationem animi ad consecutionem boni ardui propter possibilitatem , & probabilem futuritionem illud consequendi.

§ 15. *Gaudium* est affectus voluntatis , quo voluntas de bono prout presente delectatur : est secundum S. Th. 1. 2. *q. 31. Art. 3. in Corp.* quædam species delectationis ortæ secundum rationem , unde nomen gaudij non attribuitur brutis ratione carentibus , sed solum nomen delectationis.

Audacia est affectus voluntatis , quo animosè aggreditur assecutionem boni , quod difficulter & cum periculo mali imminentis est assequibile S. Th. 1. 2. *q. 45. Art. 1. in Corp.*

Odiû latè est motus voluntatis in malum , proinde significat omnem affectum

Actum mali detestativum; strictè verò prout opponitur amori stricto est affectus detestativus cujusvis mali secundum se, præcindendo ab ejus existentia, & non existentia. Est duplex efficax & inefficax vide *num. 512. vers. desiderium.*

Fuga latè significat omnem nolitatem, seu omnem detestationem, sive displicentiam, strictè verò prout opponitur desiderio est affectus voluntatis tendens in malum apprehensum ut possibile, positivè id nolendo, ut existat de præsentì, aut de futuro, unde est efficax, aut inefficax, ut dictum est de desiderio *n. 512.*

516. Desperatio est affectus animi, seu voluntatis dejectivus, & remissivus conatus propter impossibilitatem, vel difficultatem consequendi bonum desideratum, aut est fuga, quâ voluntas dejectè, & dissidenter recedit à bono sperando, credens id se non obtenturam ob nimiam arduitatem, ac molestiam insuperabilem in ejus adeptione apprehensam: unde Doctores communiter reponunt illam inter fugæ efficacis actus.

Timor est affectus quo voluntas dejectè, & timidè fugit malum futurum ab alio infligendum, difficulter à nobis evitabile credendo, aut suspicando re vera illud esse futurum: distinguitur à fuga, quòd hæc ut propriè talis non respiciat in malo difficilem evitabilitatem: potest esse efficax & inefficax, ut in simili dictum est *n. 512.*

Tristitia propriè est affectus voluntatis displicentis de malo ut existente, sive præsentè, anxietatem quandam, si
R. P. Kayh. Diss.

ve afflictionem, quam dolorem vocant Theologi, addens: opponitur gaudio, unde sicut gaudium est quædam species delectationis, ita tristitia est quædam species doloris: propriè tamen dolor secundum S. Th. 1. 2. q. 35. *Art. 2.* dicitur qui ex apprehensione sensus exterioris de malo præsentì, seu conjuncto sensui, in hoc causatur, unde in hoc non datur tristitia, sed hæc sequitur in voluntate ad apprehensionem interiorem, seu intellectualem.

Ira est affectus voluntatis ulciscendi, seu vindictam summiendi: Soarez iram generaliter sumptam sic definit, quòd sit appetitus insurgens adversus eum, qui causa mali est appetenti, vel impedit, ne bonum amatum consequatur. Juxta Less. *Lib. 4. c. 4. num. 23. juncto num. 34.* versatur inter duo contraria vitia, nempe lentitudinem, quæ est vitium per defectum (dum quis est insensibilis ad injurias, est signum stoliditatis, dum id provenit ex stupore naturæ) & iracundiam per excessum. Hinc ira secundum se non est mala, sed naturæ apprimè utilis ad facta ardua, siveque conservationem: juxta illud: *Irasce mini & nolite peccare.* Peccatum est, quando ordinem à ratione præscriptum excedit, ut si ultio summatur sine ratione, aut major, quam culpa exigit, aut sit inordinatio in modo puniendi.

517. Cum per *n. 512.* omnis actus voluntatis sit, aut circa finem, aut circa media, hic opportunè quaritur, qui actus circa finem, & qui circa media versentur & quo ordine.

Respondeo primò post propositam ab intellectu amabilitatem objecti nascitur
D d d

tur ex parte voluntatis amor simplex inefficax, seu inefficax complacentia, sive affectus, quo illi placet bonum secundum se consideratum sine ordine ad possessionem, absentiam, & presentiam. Hic affectus est prima voluntatis inclinatio in bonum absolute amabile, abstrahendo à medijs ad ejus consequibilitatem necessarijs, ex qua ceteri omnes circa idem objectum ut obtinendum, vel ut obtentum occupantur. Et quidem principalis actus est finis intentio, seu affectus voluntatis tendens in bonum per modum desiderij inclinans ad executionem boni efficaciter, vel ineffaciter pro diversitate desiderij explicati n. 512. Est ergo intentio finis alia efficax, alia inefficax.

Post finis intentionem sequitur ex parte intellectus deliberatio, sive consultatio de medijs, quæ tria præstat: inquirat media utilia, ea invicem comparat, & judicat unum esse utilius alio, aut æquale. Ad eam sequitur in voluntate complacentia in medijs, quam Rhodus appellat consentum.

Cæterum nomine consensus intelligitur omnis voluntatis approbatio objecti propositi tam efficax quàm inefficax: e contra dissensus est omnis voluntatis reprobatio objecti cogniti, si hoc est bonum, dissensus est peccatum, uti etiam consensus, si est de objecto malo. Ubi notetur dictum D. Bernardi: *Non nocet sensus* (id est motus inordinatus sensualitatis) *ubi non est consensus: imò, quod resistentem fatigat, vincentem coronat.*

Post deliberationem voluntas amplectitur unum medium præ alio, hic

amplexus seligens unum ex pluribus medijs proprie dicitur electio: late verò electio vocatur omne desiderium efficax contradistinctum ab intentione tendens in bonum utile ut tale, sive hoc respectu finis intenti sit unicum, sive unum ex pluribus. Dixi *efficax*, quia electio inefficax non datur, sed ex communi usu sonat semper efficaciam.

Dicta hæc de intentione, & electione circa bonum, applicanda sunt intentioni, & electioni circa malum servata proportione: unde fuga mali desiderio opposita, si sit malum turpe, aut doloriferum, &c. dicitur intentio, si autem sit malum utile, affectus in illud tendens, est electio.

Unde sicut efficax finis intentio movet efficaciter non solum ad desiderium medij ad ponendum, sed etiam ad efficacem fugam medij utilis impeditivi intenti: ita è converso nolitio efficax finis mali movet efficaciter tam ad nolum id, quod est utile ad ponendum finem malum, quam ad volendum id, quod conducit ad impediendum finem malum.

518 Nomine nolitionis efficacis venit illa, quæ quantum est ex se, & vi sua non est compossibilis cum volitione efficaci ejusdem objecti in eadem voluntate. Est duplex: alia est solum efficax affectivè, seu quoad affectum, estque illa, quæ non est compossibilis cum volitione efficaci ejusdem in eadem voluntate, non autem est incompossibilis cum existentia objecti ab alio inducti: unde hæc nolitio solum operatur, quod objectum non ponatur à voluntate nolentis, estò poni possit ab alio contra volunta-

tem nolentis : sic DEUS efficaciter non vult peccatum quoad effectum, hæc enim nolitio efficaciter impedit volitionem peccati in eadem voluntate DEI, non tamen habet efficaciam impediendi existentiam peccati inducti ab homine contra DEI voluntatem.

Alia nolitio est efficax quoad affectum, & effectum : & hæc non solum est impossibilis cum volitione objecti in eadem voluntate, sed etiam cum absoluta objecti existentia, sic DEUS non solum habet efficaciam affectivè nolitionem peccati in Petro, sed etiam efficaciam effectivè, seu quoad effectum, dum impedit in Petro existentiam peccati.

Nolitio affectivè efficax est duplex : una quæ non solum excludit efficaciam volitionem ejusdem objecti in eadem voluntate, sed etiam quantum est ex se excludit voluntatem tum complacendi simplicem in effectu, tum permittendi effectum, ut si quis aggressori intentanti ictum, quantum est de se ita resistat, ut neque complaceat sibi in ictu, neque permittat : ictus, quem patitur, est involuntarius quoad affectum, ita ut efficaciam nolitionis ex sua energia excludat in eadem voluntate tum complacentiam, tum permissionem ictus seu effectus. Altera nolitio affectivè efficax est, quæ excludit duntaxat volitionem efficacem ejusdem effectus noliti, non tamen excludit complacentiam simplicem, seu velleitatem seu volitionem inefficacem ex se non inductivam effectus noliti, talem nolitionem efficaciam habet in periculo naufragij mercator, de retinendis mercibus, cum qua componitur volitio inefficax, seu velleitas eas retinendi, quæ volitio non

inducit effectum, seu non operatur retentionem, & ideò est inefficax. Aliquando efficax nolitio quoad affectum excludit in eadem voluntate etiam complacentiam simplicem de effectu in eadem voluntate, non tamen excludit volitionem permissivam ejusdem, taliter DEUS de omni peccato habet affectivè efficaciam nolitionem ejusdem exclusivam omnis complacentiæ suæ voluntatis in peccato, quin excludat voluntatem permissivam ejusdem peccati. Ex his.

§ 19. Colligitur primò, quòd nolitio seu displicentia inefficax effectus nequeat efficere, ut effectus sit simpliciter involuntarius, quia ex se componi potest cum volitione efficaci inductiva ejusdem effectus, quo casu effectus est simpliciter voluntarius, ut patet in ejectione mercium simpliciter voluntaria, etsi mercator habeat nolentiam seu displicentiam simplicem, de illarum ejectione.

Colligitur secundò, nolitio quoad affectum efficax facit effectum, qui inducitur, simpliciter ac propriè involuntarium, quia prævalet efficax talis nolitio meæ inefficaci volitioni, quæ circa eundem effectum in mea voluntate potest componi; talis enim efficax affectivè nolitio excludit in voluntate omnem absolutam efficaciam volitionem effectus noliti, & solum compatiitur secum complacentiam inefficacem, aut permissionem effectus, quæ non sufficit ad voluntarium simpliciter tale, uti patet à contrario ex corollario priore.

Colligitur tertio, quòd nolitio affectivè, & effectivè efficax nequeat constituere involuntarium simpliciter tale,

D d d 2.

de.

de quo est communiter sermo in quaestione de involuntario, quia sermo est de eo, quod absolute ponitur à parte rei contra voluntatem nolentis illud, sed dum est nolitio quoad affectum, & effectum efficax, effectus non est ponibilis à parte rei, ergo nequit esse simpliciter involuntarius. Hactenus dicta de intentione finis procedunt de intentione absolutâ.


Loquendo de intentione tendente in finem sub aliqua conditione dicitur intentio ex parte objecti conditionata. Ut talis sit efficax, debet conditio judicari possibilis, quia non potest voluntas totum suum conatum impendere ad ponendum id, quod censet poni non posse.

Hinc voluntas ferri non potest efficaciter in objectum conditionatum affectu significato per verbum præsens modi indicativi, quando conditio exprimitur per verbum de præterito modi optativi e.g. *absolvere si esses dispositus*, quia per verbum præsens modi indicativi signi-

ficatur desiderium, per verbum verò optativum supponitur, quòd conditio non subsistat, consequenter, quòd sit per accidens impossibilis; at si affectus in casu allato exprimitur etiam per verbum optativum e.g. *absolverem te, si esses dispositus*, estò non sit desiderium etiam simplex, sed affectus peculiaris naturæ ex modo tendendi diversus, utpote tendens in conditionatum sub conditione saltem consequenter impossibili; quod non habet desiderium, huic tamen æquivalet quoad imputabilitatem, quia ita voluntatem disponit, ut hæc in desiderium efficax erumperet, si conditio per se, aut per accidens non appareret impossibilis. Hoc genus affectus conditionati dici solet propriè velleitas, Izquierdo de DEO D. 34. num. 96. & seq. ac num. 111. contra Valq. 1. 2. D. 42.

cap. 3. & 4.

* *



§. II.

Quid, & quotuplex sit moralitas actuum voluntatis.

520. **A**ctus morales possunt considerari dupliciter. Primò, in genere naturæ, sive Entis, id est secundum physicam Entitatem; sic considerati sumunt suam bonitatem à virtute agentis. Secundò, formaliter seu reduplicativè, ac ut morales sunt, id est, ut imputabiles moraliter ad laudem, aut

vituperium: ad quod non satis est, quòd actus sit liber quoad substantiam, sive physicam Entitatem, sed insuper necesse est esse liberum quoad suam honestatem, aut turpitudinem; sæpe contingit actus aliquos quoad Entitatem liberè exerceri, qui tamen non sint honesti, nec turpes defectu advertentiæ ad honestatem, & mali-

malitiam, ut contingit non modo in pueris ante perfectum usum rationis, sed etiam aliquando in adultis. Quare licet omnis actus moralis sit liber, non tamen omnis actus liber est moralis, Izquierdo de DEO D. 35. num. 2. contra Compron. & alios. De actibus moralibus ut tales sunt, quaestio praefata est.

Dico actus moralis nihil est aliud, quam actus moraliter honestus, aut inhonestus: honestus est consonus, seu conformis naturae rationali ut tali, ita cit. Izquierdo num. 3. cum Vasq. 1. 2. D. 58. cap. 2. Unde moralitas actus moralis est ipsa consonantia, vel dissonantia cum natura rationali ut tali. Sed cum consonantia, aut dissonantia actus non percipitur, nisi per iudicium Rationis, inde est, quod multi moralitatem, id est, bonitatem, & malitiam moralis actus ponant in conformitate, & difformitate cum tali iudicio, id est, cum recta ratione, re ipsa tamen in ea non consistit, sed in objecto talis iudicij, quod objectum est praefata consonantia, vel dissonantia cum natura rationali ut tali.

521. Moralitas actus humani, sive honestas, aut turpitudine dividitur in formalem, & materialem, ita omnes.

Ratio, quia alia convenit actibus independentem à libertate, & haec dicitur materialis: de hac loquuntur Doctores dum in materijs moralibus disceptant, an hic, aut ille actus sit moraliter honestus, aut turpis? eamque aliqui rectè vocant radicalem, seu fundamentalem, est enim radix iudicij recti de cuiusvis actus honestate, aut indecentia, quam habet relatè ad naturam rationalem prout talem.

Alia moralitas dicitur formalis, estque ipsa imputabilitas actus honesti, aut turpis ad laudem, vel vituperium, qualiter nequit impurari sine libertate, haec tamen sola non est moralitas per num. 520. nam in eodem actu, ut videbimus, potest esse multiplex moralitas specie distincta: ut in adulterio est malitia contra castitatem, & contra iustitiam. Quare moralitas formalis est libertas actus dependentis à cognitione advertente ad honestatem, aut turpitudinem materialem, stante enim tali cognitione, & libertate est necessario actus imputabilis.

Probabilius est, quod moralitas actuum non sit substantialis actibus nostris liberis physicè, seu in genere entis consideratis, quia probabilius libertas non est substantialis, sive intrinseca actibus, ut insinuatum est num. 511. ergo nec moralitas utpote inseparabilis à libertate. Hinc bonitas, & malitia moralis non sunt species, sed accidentia actus moralis.

522. Moralitas materialis aliquibus actibus, tum internis, tum externis est essentialis. Per actus externos huc veniunt omnes actus distincti ab actibus voluntatis, proinde actus non tantum potentiarum externarum liberè dependentes à voluntate, sed actus intellectus à voluntate imperabiles ut fidei, haeresis, iudicia temeraria, suspiciones, dubitationes &c.

Affertum ostenditur primo de moralitate materiali actuum malorum, tum externorum, tum Internorum, ejusmodi actus externi essentialiter mali malitiâ materiali sunt mendacium, blasphemia,

perjurium, hæresis, & alij similes, quia materialis eorum malitia fundatur in sola eorum physica essentia. Eadem est ratio de actibus internis his, eisque similibus, ut de odio DEI, hæresi mentali, simonia mentali, voluntate pejerandi, blasphemandi, mentiendi.

Similiter aliquibus actibus externis, & internis est essentialis materialis honestas. Inter externos computanda est fides, hæc utpote supernaturalis, etiam divinitus in se non potest esse mala, aliàs DEUS foret author malitiæ materialis, cum sit author fidei. Inter internos verò essentialiter bonos est Caritas, & Spes Theologica præsertim supernaturalis; nunquam intrinsicè potest vitari, quia cum DEUS causa per se sit utriusque, ille per se causaret materialem malitiam.

Ratio est eadem de materiali honestate, quam dedi de malitia essentiali, nempe quod materialis honestas istorum actuum radicata sit in physica eorundem essentia, ita Izquierdo n. 10. & 11.

§ 23. Reliquis plerisque actibus tum externis, tum internis materialis bonitas, & malitia est accidentalis, ac semiextrinseca, proinde ab illis separabilis. Izquierdo num. 8. & 9. contra Esparza, & illos Doctores quoad actus internos, quibus volunt libertatem esse essentialem per num. § 11. proinde etiam malitiam materialem. Sed cum verosimiliùs libertas non sit adæquatè intrinsicè actibus, sequitur etiam non esse essentialem eisdem moralitatem materialem.

Probatur primò de bonitate materiali, quia hæc à plerisque actibus internis, ac externis potest separari, utriusque

enim actus possunt vitari à circumstantia finis pravi (possunt enim per actum reflexum ordinari ad finem malum) aut ab alia extrinseca circumstantia, ergo ut sint moraliter boni bonitate materiali, requiritur carentia finis pravi, aut alterius circumstantiæ vitiosæ, sed ejusmodi carentia est actuum essentia accidentalis, ac extrinseca, ergo in esse materialiter mali complentur per quid extrinsecum, ac ijs accidentale, sed quod est actibus extrinsecum, & accidentale est ab iisdem separabile.

Probatur deinde etiam de materiali malitia: plerique enim actus externi eam sortiuntur ab accidente sibi extrinseco, ut dum ordinantur ad finem malum, aut fiunt sub tali, aut tali circumstantia sui infectiva: furti malitia materialis non habetur, nisi prout acceptio rei alienæ habet annexam carentiam necessitatis extremæ, aut proximi periculi in hoc labendi, aut imperij divini concedentis ablationem rei alienæ. Fornicationis malitia materialis habetur per carentiam conjugij, aut divinæ dispensationis concedentis jus in corpus feminae citra præjudicium prolis educandæ: quæ carentia cum sint separabiles ab actibus, etiam est separabilis malitia materialis, cum in esse hujus compleatur per quid extrinsecum Entitati physicae actus.

Edem ratio est de actibus internis, quia plerique horum sunt materialiter mali, aut quia inficiuntur ab aliquo extrinseco e. g. ab imperio reflexo malo eos imperante, aut quin objecta, in quorum solam physicam Entitatem intrinsicè tendunt, sunt accidentaliter, & semiextrinsicè mala proinde actus tales inter-

ter-

terni sunt materialiter mali partim à sua Entitate in recto importata, partim ab objecto (quale plerumque est actus externus) non secundum se spectato: sed prout substanti alicui circumstantiæ accidentali vitiosa.

Non est paritas ab actibus divinis liberis, qui tam externi, quam interni sunt essentialiter boni bonitate materiali, & formali, quia nullus actus liber DEI potest necessario procedere à DEO, ergo omnis est essentialiter liber, ex altera parte non potest DEUS malè operari, ergo necesse est operari liberè, & honestè.

§ 24. Bonitas formalis actibus creatis externis secundum omnes est accidentalis, ac extrinseca, nam denominantur formaliter boni, seu honesti à libertate, & bonitate formali actuum internorum, à quibus imperantur (idem dic de malitia formali externorum actuum malorum, hanc enim denominationem desumunt ab actibus internis formaliter, seu imputativè inhonestis) Bonitas verò, ac malitia formalis actuum internorum probabilius non est eis adæquate intrinseca, seu essentialis; quia non est eisdem essentialis libertas, sine qua nullus actus internus potest esse formaliter bonus, aut malus.

Actus externi, qui capaces sunt libertatis, consequenter etiam moralitatis, sunt objecta actuum internorum. Idcirco multi Docteres moralitatem dividunt in formalem, & objectivam: formalem attribuunt solis actibus voluntatis elicitis; objectivam verò omnibus eorum objectis (quorum loquendi modus,

cum passim sit usitatus, etiam nos non raro eo utemur) Hæc divisio meritò displicet Izquierdo *num. 6.* quia plura objecta actuum moralium sunt incapacia moralitatis, talia non possunt habere ullam objectivam moralitatem: sic DEUS est objectum tum charitatis formaliter honestæ, tum odij; quin prout terminans charitatem sit dicendus objectivè honestus, aut objectivè inhonestus, dum est objectum odij.

Meliùs ergo moralitas, quam hi Doctores vocant objectivam, dicenda est materialis in actibus incapacibus moralitatis.

Ex hoc duo colligit Izquierdo. Primum est: quod nullum voluntatis objectum, prout præcisè est objectum illius, habeat ullam moralitatem, quia, prout præcisè est objectum, non pertinet ad libertatem, atque adèò, nec ad moralitatem imputabile est.

Alterum est, & sequitur ex primo: quod cum actus externi subiecti voluntatis dominio, actuum internorum simplicium, seu inefficacium nequeant esse effectus, sed præcisè objecta, consequens sit eosdem actus externos respectivè ad tales actus simplices carere omni moralitate: ejusmodi actus sunt gaudium, simplex complacentia, aut displicentia de actibus externis; nihilominus actus interni voluntatis relatè ad tales etiam actus externos habent propriam moralitatem, sive bonitatem, aut malitiam, sicut relatè ad eosdem habent suam specificam naturam, ut patebit ex §. sequente.

* *

§. III.



§. III.

An bonitas, vel malitia moralis actuum internorum, & externorum invicem comparatorum resideat principaliter in externis, aut internis.

525. **C**ertum est, quod bonitas, & malitia formalis primario resideat in actibus voluntatis; in reliquis vero extrinsecè, ac denominativè. Quia soli interni actus voluntatis sunt in se, & immediatè liberi. Igitur quæstio intelligitur de materiali tam bonitate, quàm malitia explicata à num. 521, quisque enim actus internus, & externus consonat, aut dissonat cum natura rationali ut tali, ergo quisque est aut bonus, aut malus materialiter per num. 520. sermo hic est de internis efficacibus.

Ad quæstionem triplex est sententia apud Izquierdo de *DEO D. 35. num. 186.* Prima collocat tam bonitatem, quàm malitiam principaliter, ac intrinsecè in actibus internis voluntatis, exinde autem putat secundario, & extrinsecè derivari in externos: ita multi antiqui apud Vasq. 1. 2. *D. 73. cap. 1.* Secunda, extremè opposita attribuit primario actui externo, & ab hoc refundi in internum. Tertia, media malitiam ex objecto, & circumstantiis desumptam vult principaliter convenire actui externo & ab hac derivari in internum.

Idem sentit de malitia orta ex fine, quando hic est actus externus operantis:

bonitatem vero putat semper principaliter convenire actui interno, & secundario externo, idque extendit ad malitiam ex fine, quando finis non est actus operantis, sed alterius. Ita Vasq. *cap. 5. 6. & 7.* monens num. 30. suam opinionem intelligendam de affectu interiori efficaci, secus de inefficaci sito in simplici tantum complacentia rei sine ordine ad executionem.

Primam partem num. 16. exemplificat in occisione facta propter inanem gloriam efficaciter intentam: malitia homicidij principaliter convenit actioni externæ occisivæ, indèque secundario derivatur in actionem interiorè voluntatis tam intentionis circa finem inanis gloriæ, quàm electionis circa ipsum homicidium. Ratio primi est, quod actio exterior occisiva relatè ad suum objectum, & circumstantias primario prohibetur, ergo primario, & ratione sui, & non ratione alterius, proinde principaliter est mala. Ratio secundæ hujus patris: quod actio interior, nempe intentio inanis gloriæ, & electio homicidij non ratione sui, sed ratione alterius, nempe actionis externæ occisivæ prohibetur, seu quatenus refertur ad objectum, seu homicidium, & hu-

hujus circumstantias, ergo illi secundario malitia convenit.

Eadem ratio ostendit secundam partem asserti Vasqueziani de malitia intentionis habentis pro fine operationem nostram: ut si quis furetur propter adulterium; hoc casu malitia intentionis reperitur principaliter in actione externa, nempe in adulterio, secundario autem in actu interno intentionis, & electionis furti assumpti ut medij. Ita Vasq. n. 29.

Econtra bonitatem moralem actuum semper principaliter residere in actu interiore, & inde derivari secundario in actum exteriorem probat c. 7. sub initium: quia, ut actus sit moraliter bonus, non tantum objectum debet esse bonum, sed voluntas debet ferri directe in ipsam objecti honestatem propter ipsam, & non propter alium finem: hæc in honestatem tendentia principaliter convenit actui, & affectui interno, ergo moralis bonitas principaliter huic convenit. Econtra ut actus sit malus necesse non est eum ferri in opus malum propter ipsam malitiam, sed sufficit voluntarium indirectum etiam ex ignorantia vincibili, ut opus externum secundum se prohibitum sit peccatum. Hinc est disparitas inter actum bonum, & malum, quando finis hujus est opus nostrum externum.

Dixi *opus nostrum*, quia si finis non est actio nostra exterior, sed opus alterius, aut res; tunc malitia primaria convenit affectui interno habenti pro fine operationem alterius; ut si opus dirigas in gloriam inanem, seu ut lauderis ab hominibus, malitia tui operis primario convenit intentioni vanæ gloriæ, seu

R. P. Kersch. Diss.

laudis humana, secundario verò actui tuo externo assumpto in medium laudis obtinendæ. Quia id, quod principaliter tunc prohibetur, est intentio circa talem finem. Ita Vasq. num. 24.

Ex quibus liquet conclusionem Patris Vasq. quatuor constare partibus, quas placuit exhibere cum suis rationibus; eò quod multum illuminent intellectum circa bonitatem, & malitiam moralem actuum nostrorum: & intelligentiam eorum, quæ hic Author scripsit *duobus tomis in 1. 2.*

§ 26. Respondeo cum sententia à tribus relatis diversa, proinde quarta asserta ab Izquierdo à num. 187. Materialem tam bonitatem, quam malitiam actuum exteriorum principaliter residere in externis; interiorum verò in internis. Ratio quia tam hi, quam illi habent propriam moralitatem materialem, cum quisque illorum secundum se sit conformis, aut difformis naturæ rationali ut tali, ergo quisque suæ propriæ moralitatis est subjectum proprium, atque adeo principale.

Quia tamen internus supponitur esse se causa efficax externi; proinde est acta externo prior prioritate causalitatis, fit, ut hoc titulo moralitas actus externi sit prius imputativè, ac primario in interno, quam in externo: moralitas tamen propria actus interni nullo modo communicatur externo, sed hic duntaxat à propria denominatur bonus, aut malus, esto moralitas exteriorum sæpe constituatur partialiter per actum internum, tanquam unum ex fundamentis necessarijs, ut hæc, vel illa moralitas resultat in actu externo: sic ut numeratio pecuniarum

Ecc

nia

nia sit solutio externa debiti, debet completi per volitionem compenfativam: ut sit retributio externa beneficij, includit voluntatem gratificativam: ut sit externa Eleemosina, includit voluntatem misericordem: hæc bonitas est propria actûs externi, secûs interni, licet per hunc partialiter constituatur; internus e contra propriam habet, & ab ea denominatur, quin eandem communicet externo.


§ 27. Colligitur primò quod actus externus in esse objecti sit prior interno, in esse verò effectûs sit posterior eodem, nam internus causat externum, seu, quod idem est, actus externus secundum esse intentionale præcedit internum, hunc verò sequitur secundum esse reale.

Colligitur secundò actus externos nullam habere moralitatem titulo præcisè, quod sint objecta internorum (aliàs hoc titulo haberent moralitatem etiam reliqua objecta actuum internorum contra *num. 524.*) sed titulo effectûs, sic enim capaces sunt moralitatis participandæ ab illis. Hinc actus externi aliàs factibiles ex imperio voluntatis nullam habent moralitatem respectu actuum voluntatis inefficacium e. g. gaudij, & similia, quia horum externi sunt pura objecta, sed ut pura objecta carent omni moralitate *per num. 524.* & amplius patebit ex corollario sequente.

Colligitur tertid affectus voluntatis inefficaces non posse imputari in lau-

dem, aut vituperium, nisi eorum propria materialis moralitas cognoscatur, licet eorum objectorum moralitas materialis, si quam habent, cognoscatur; quia titulo præcisè objectorum nullam transfundunt moralitatem in simplices, seu inefficaces affectus internos, quorum sunt pura objecta: non etiam titulo effectus externi ejusmodi actûs possunt imputari internis, siquidem hi supponuntur non esse causa eorum efficacæ. Ita Izquierdo *num. 20.* meritò excipiens assensus quosdam formaliter inefficaces, æquivalenter tamen efficaces, quas vellemus nuncupamus: e. g. vellem occidere Perrum, si possem; talibus enim imputatur tota moralitas objecti, quia non defectu voluntatis, sed propter impossibilitatem physicam, aut moralem, quam apprehendit, retardatur à Peri occisione. Unde disponit voluntatem, ut in hanc erumperet efficaciter, nisi hic, & nunc impediretur *per num. 519.* in fin.

Colligitur quartò actum internum efficacem cum externo non facere unam indivisibilem moralitatem, sed duas distinctas; quia quisque habet propriam consonantiam, aut dissonantiam cum natura rationali ut tali. Hinc advertens ad utramque bonitatem, aut malitiam laudabilius, aut vituperabilius operatur, quam is, qui advertit solum ad unam. Izquierdo *n. 19.*
Vide *n. 388.*





§. IV.

De praequisitis ad imputabilem moralitatem, maxime de qualitate cognitionis, & consensûs, ac hujus indicij.

§28. **C**ertum est, ut moralitas sive bona, sive mala imputetur operanti alia praequiri ex parte intellectûs, alia ex parte voluntatis; alia ex parte objecti.

Ex parte objecti requiritur ad actum bonum honestas, ad inhonestum turpitudine re ipsâ, aut apparenter talis; voluntas enim non amplectitur operationem prout est in se, sed prout est in intellectu. Ita omnes apud Izquierdo *de DEO D. 35. n. 15.*

Ex parte intellectûs necessaria est cognitio representans turpitudinem, aut honestatem objecti, & circumstantiarum: quia nihil volitum, quod non est præcognitum. Unde si substantia actus sit indifferens ad malitiam, & bonitatem, illaque sine ista repræsentetur, actus erit liber quoad substantiam, quin sit bonus, aut malus moraliter *per num. 40.*

Dicta repræsentatio, sive actus moralis sit bonus, sive malus, debet esse præsens, & formalis seu expressa. De actu bono plerique concedunt contra paucos apud Izquierdo *num. 22.* quia voluntas cum sit cæca, in bonum, aut malum ferri non potest, nisi reddatur sibi præsens cognitionem: nam sine cogni-

tione voluntas nequit esse in actu primò libera *per num. 511.* & ideo non sufficit cognitio præterita etiam ad malitiam contra paucos.

De actu malo non praequiri cognitionem formalem & expressam docent Soar. 1.2. *tr. 2. D. 4. S. 3.* & alij relati superius *num. 263.* contenti cognitione virtuali, & interpretativa de operis malitia, quam tunc adesse putant, dum operans actu non advertit, dum potest, & tenetur advertere. Verùm probabilior est pars contradictoria cum Vasq. quem cit. *num. 263.* allegavi, & cum eadem copiosè probavi: necessariam esse aliquam formalem cogitationem. Pro eadem hac sententia stat Izquierdo à *num. 23.* solvitque rationes adversariorum.

§29. Dubitatur primò an praequisita cognitio ad moralitatem sufficiat apprehensiva, vel necessaria sit judicativa. Respondeo praequiri judicativam, id solidè probat Izquierdo à *num. 31.* ut enim voluntas possit velle efficaciter, & libere e.g. bonum actum, debet esse persuasa esse honestum, sed vi simplicis apprehensionis non est persuasa actum esse honestum, ergo vi apprehensionis simplicis nequit voluntas efficaciter, & libere

E e e 2

bere

berè velle actum honestum. Confirmatur cum Izquierdo *num.* 36. si sufficeret apprehensio honestatis, ut hæc imputetur, etiam sufficeret apprehensio inhonestatis, ut voluntas culperetur, sed hoc est falsum, aliàs plerique actus nostri defacto essent formaliter boni & mali, quia in plerisque apprehenditur bonitas, & malitia.

530. Dubitatur secundò an iudicium de honestate actus, ut sit imputabilis, debeat esse certum, aut sufficit esse probabile? pro secundo stat Izquierdo à *num.* 37. quia, ut evadat actus formaliter bonus, sufficit, quod materialis bonitas sit operanti libera, sic enim jam est imputabilis, sed ut sit operanti libera materialis bonitas, sufficit iudicium probabile de actu, quod sit bonus.

Respondeo prærequiri iudicium certum, non certitudine physica, sed morali. Prima pars est Soarij 1. 2. *tr.* 3. *D.* 12. *S.* 3. contra cit. Izquierdo Valq. 1. 2. *D.* 62. *c.* 5. *num.* 26. Sanch. *Lib.* 1. *Mor.* *c.* 9. *num.* 19. Ratio, quod nullum iudicium stans cum prudenti formidine oppositi possit esse proxima Regula licitè operandi; aliàs opinio contra omnes posset esse virtus: tum quia actus voluntatis regulatus à tali iudicio formidoloso haberet hunc modum tendendi, quia talis operatio est probabiliter, aut probabilius honesta, non obstante, quod forte sit realiter inhonesta, ponam tamen illam, etsi non sim securus, quod honestè operer, sed operatio habens hunc modum tendendi, nequit esse honesta: atqui omne iudicium probabile, imò etiam probabilius stat cum prudenti for-

midine oppositi, cum sola certitudo excludat prudentem formidinem, iudicium autem etiam probabilius de honestate non est certum.

Confirmatur si iudicium probabile, aut probabilius esset conscientia proximè regulans mores, exponeret periculo proximo peccandi; nam cum tali iudicio, vel certum est abesse periculum peccandi, vel non: si certo abest, ergo operans certo iudicat se non peccare, ergo jam non est probabilius, sed certum iudicium contra suppositum; si non abest certo, ergo probabiliter adest, sed operans cum probabili periculo peccandi peccat, verba enim illa: *Qui amat periculum, peribit in illo*, sunt intelligenda etiam de probabili, *uti enim bonum ex integra causa ita malum ex minimo defectu*, ergo si per adversarios iudicium probabile, aut probabilius sufficit ad bene operandum, potiore jure sufficit iudicium practicum de malo ad malè agendum, cum plus ad bonam quam ad malam operationem requiratur juxta cit. axioma.

Pars secunda de certitudine physica ostenditur, quod aliàs pars maxima operationum moralium defacto esset omitenda: esset enim moraliter mala, siquidem ob imbecillitatem conditionis humanæ, de paucis operationibus habetur certitudo physica, quod sint physice, ac re ipsa honestæ. Hinc sequitur pars tertia de sufficientia iudicij moraliter certi.

531. Porrò iudicium præfatum non sufficit esse speculativum, id est tale, quod proponat nudam propositionis veritatem

tem e.g. honestatem de operatione, id est, connexionem praedicti honesti de subiecto, seu de operatione praescindendo à praxi, & modo exequendi illam, tale enim iudicium non potest proximè dirigere voluntatem, ut enim hæc possit se determinare, debet præluere iudicium ostendens hinc, & nunc licitè posse exequi talem actum e.g. contractum: taliter non proponitur voluntati operatio per iudicium speculativum, sed ejusmodi modus proponendi proprius est iudicij practici. Est ergo iudicium practicum iudicium affirmans, aut negans hujusmodi objectum sive actum e.g. contractum hinc, & nunc licite esse exequibilem.

Ejusmodi iudicium practicum moraliter certum non excludit formidinem speculativam oppositi, quæ est de ipsa objecti honestate reali, quia hæc formido radicaliter est indistincta à iudicio probabili speculativo elicto ex motivo directo gravi, sed incerto affirmante realem objecti honestatem (iudicij enim speculativi veritas, aut falsitas desumitur à conformitate iudicij cum objecto in se) tale iudicium speculativum, consequenter ejus speculativa formido de inhonestate potest stare cum practico iudicio moraliter certo, & proximè regulante voluntatem, quod hinc, & nunc sit licita talis operatio, seu usus opinionis speculativè, ac directè probabilis in hisce circumstantijs sit licitus. Hoc iudicium excludit oppositum sibi iudicium practicè formidans de honestate operationis, istud enim sic enunciat: fors non est licita hæc operatio, seu forte non est licitus usus opinionis de tali operatione, cum

quali enuntiatione stare non potest iudicium practicum moraliter certum de operationis honestate, ergo iudicium practicum moraliter certum, ut sit proxima morum Regula, debet excludere iudicium practicè formidans de operationis honestate.

§ 32. Pro clariore dictorum, ac sequentium notitiâ adverteo cum Izquierdo n. 33. quod ad moralitatem actûs dupliciter conducatur cognitio. Primò in ratione propositionis, qualiter semper est necessaria; quia nullus actus potest imputari operanti, nisi proposita ejus honestate, aut malitiâ per actum intellectûs ut proximam Regulam practicam per *num.* § 31. Secundo in ratione circumstantiæ eo modo, quo e.g. Vigilia Sanctorum Petri, & Pauli, quâ hæc scribo est circumstantia reddens materialiter illicitum esum carnis, agritudo verò est circumstantia reddens eundem esum licitum etiam die Vigiliæ: in hunc modum iudicium probabile de honestate operationis, etsi non sufficiat in ratione propositionis ad honestam operationem per *num.* § 30. nec sit circumstantia depravans actum, utpote nullatenus repræsentans inhonestatem (formido enim formalis de inhonestate non identificatur iudicio probabili, sed est actus distinctus reflexus, quo intellectus videns solum probabilitatem honestatis iudicat fors objectum se aliter habet) est ergo circumstantia reddens actum materialiter honestum.

Ex hac animadversione à fortiori sequitur, quod cogitatio dubia, suspiciosa, aut formidolosa de actus malitiâ non conducere possit ut propositio formalis, seu ut repræsentatio ad esse morale

actûs sive boni, sive mali: quia per *num. 530.* ut voluntati imputetur bonitas, aut malitia: debet esse persuasa de honestate, aut turpitudine, aut hujus periculo, sed vi cogitationis dubiæ, suspiciosa, aut formidolosa nequit esse persuasa de turpitudine &c. cum dubitatio, suspicio, & formido sit minus quid in ratione propositionis, quam iudicium probabile.

Conducit itaque in ratione circumstantiæ, ut actus cadens sub dubium, suspensionem, aut formidinem malitiæ sit materialiter inhonestus, hoc ipso enim, quod intellectus cognoscat se dubitare, formidare, aut suspicari de inhonestate actûs alicujus, jam evadit periculosus, intellectûsque cognoscit periculum inhonestatis, ita Izquierdo *num. 56.* nisi, inquit *n. 60.* tale periculum arceatur per iudicium, vel moraliter certum de honestate secundum nos, aut saltem probabile, uti hic Author sufficere contendit per *num. 530.* Ex hac doctrina.

533. Inferes cum Izquierdo *n. 61.* quod quis illicite operetur, quoties formido, suspicio, aut dubitatio, &c. pulsât animum de operationis malitia (nisi prudenter deponat) quia sic operando se temere exponit periculo malè operandi. Ut tamen peccet, debet esse advertentia talis periculi, ac reflexè judicare, quod cum tali periculo, formidine, suspensione, aut dubitatione malè operetur, aliàs si non advertit ad malitiam materialem, quam continet tale periculum, aut ejusmodi operandi modus, nempe cum formidine aut suspensione, aut dubitatione de malitia, operas non peccabit.

Hac tamen reflexa cogitatio vix abesse potest teste Cardenas *Crisis Theolog.*

to. 3. D. 78. num. 22. eò quod dubium practicum de peccato se clarè experientialiter notificet operanti. Verùm experientia docet, non raro rudes non advertere ad peccati periculum, nec quod tali modo operando, videlicet cum dubio, formidine, ac suspensione de malitia peccent saltem mortaliter.

534. Dubitatur tertio an ad moralitatem actûs sit necessaria plena, seu perfecta advertentia ad materialem honestatem, & malitiam. Respondeo ut sit actus moralis bonus condignè meritorius gratiæ habitualis, & vitæ aternæ; aut malus dignus pœnâ aternâ, requiri plenam, sive claram, perfectamque considerationem, qualis haberi solet ab homine plenè vigili: nam sine tali nemo peccat mortaliter, consequenter nec est punibilis pœnâ aternâ. Hinc fit paritas ad actum condignè meritorium vitæ aternæ; nemo enim hanc meretur sine perfecta, seu plena libertate, qualis esse non potest sine perfecta cognitione.

Dixi *gratiæ habitualis*; quia, an actus supernaturalis semiplene liber possit esse meritorius gratiæ actualis? est sub lite. Afirmat Ripald. *de ente supernaturali. D. 74. num. 14.* Respondeo probabilius negativè cum Ovied. *1. 2. tr. 9. Controv. 2. p. 1. num. 6.* quia non minor libertas requiritur ad condignitatem meriti, quam ad contractus justitiæ, ad valorem voti &c. meritum enim condignum ita proportionatur suo præmio, ut si præmians capax sit obligationis justitiæ, hanc queat inducere, imò secundum multos defacto inducit in DEO post factam præmij promissionem, sed ad omnes contractus justitiæ requiritur ple-

libertas, Mol. *to. 2. de Just. tr. 2. D. 267. in it.* Sanch. *lib. 1. Matr. D. 8. num. 5.*

Respondeo secundo, ut actus moralis malus sit leviter culpabilis, sufficit advertentia imperfecta, consequenter libertas imperfecta. Ita omnes: ut patet in peccatis venialibus, quae vocamus peccata subreptionis, quorum origo est defectus plenae advertentiae.

Hinc imperfecta libertas sufficiens est, ut in poenam actus pravi subtrahatur gratia actualis in hac vita, & poena temporali puniatur in altera.

Dices ergo etiam actus supernaturalis semiplene liberi sunt condigne meritorij gratiae actualis. Respondeo negando illarum: disparitas est, quod carentia gratiae actualis, ac poena temporalis ex se non conducit ad poenam aeternam, è contra collatio gratiae cujusvis actualis supernaturalis per se conducit ad premium aeternum; nam per se conducit ad actum supernaturalem honestum, ex quo resultat jus ad vitam aeternam, si eliciatur à justo: major igitur est necessaria libertas ad actum meritorium gratiae etiam actualis, quam ad demeritorium ejusdem gratiae, & poenae temporalis.

§ 35. Dubitatur quarto, an ut moralitas materialis malitiae sit mortalis, sufficiat cognitio practica malitiae praescindens à gravitate, & levitate? sensus dubij est: an habens conscientiam practicam (de qua vide *num. 531.*) sive dictamen se male agere cum praescissione ab omni quantitate malitiae, id est, non concipiendo gravem, nec levem, seu nec magnam, nec parvam, operatio facta dependenter à tali dictamine, ut hoc est

pura propositio, evadat formaliter venialis duntaxat, aut mortalis, ut pura inquam propositio? quia idem dictamen consideratum in esse circumstantiae (vide de hac *num. 532.*) reddit malitiam formaliter, seu imputabiliter mortalem, si advertatur reflexe ad periculum mortalis culpa, quod secum fert talis propositio praescisiva, ita Izquierdo *num. 87. juncto 91.* sic combinans duas contradictorias opiniones; quarum una affirmat esse mortale cum Valq. *1. 2. D. 59. cap. 3. num. 10. & D. 107. cap. 3. num. 10.* Sanch. *lib. 1. Decal. cap. 1. num. 9. & cap. 11. num. 6.* Altera contendit esse veniale cum Valent. Granad. &c.

Respondeo igitur; si cognitio praescindens à gravitate, & levitate consideretur, ut est pura propositio sive representatio, operatio facta dependenter ab illa est formaliter venialis: ab eadem autem ut à circumstantia reflexe cognita evadit formaliter, seu imputativè mortalis. Ita Izquierdo. Ratio primi: peccatum nullam habens quantitatem ex parte objecti cognitam, nequit esse gravius peccato habente quantitatem levem ex parte objecti praeviam, cum aliqua quantitas sit plus, quam nulla, sed peccatum, cujus quantitas ex parte objecti est levis, est veniale, ergo à fortiori peccatum nullam habens ex parte objecti cognitam quantitatem, est veniale.

Ratio secundi: ubi cognoscitur contingentia, seu periculum gravis malitiae, ibi est circumstantia graviter vitians operationem, sed hic est contingentia, seu periculum gravis malitiae, ergo est circumstantia graviter vitians operationem, quae tamen non imputatur ad culpam; nisi

nisi operans reflexe cognoscat tale periculum, ut insinuatum est, cum nihil volitum, quod non præcognitum.

§ 36. Quapropter ad mortale peccatum non sufficit cognitio universim, ac in confuso representans esse peccatum. Contra cit. Vasq. nec satis est cognoscere, quod sit operatio prohibita, sed cognosci debet esse graviter prohibita: quia ratio malitiæ communis mortali, & veniali non sufficit, nisi autem cognoscatur gravis prohibitio, malitia cognita est communis mortali, & veniali, Kriemer in *lib. 1. Decretal. de Constitutiv. num. 885.*

Dices tale peccatum ex parte materiæ, seu objecti præscindit ab omni quantitate, nam in cognitione nec magna, nec parva est, ergo tale peccatum, nec magnum nec parvum est, proinde nec mortale nec veniale, hoc autem est impossibile.

Respondeo nego consequentiam, participat enim quantitatem à libertate; quantitas enim operationis imputabilis moralis desumitur non à sola materia, sed etiam à libertate secundum omnes, nam operatio mala facta cum plena libertate est gravior, quam cum imperfecta, & ideo potest fieri, ut materia sit gravis, operatio tamen sit formaliter venialis, defectu plenæ libertatis: quamvis in materia levi nunquam ita crescere potest, ut evadat mortalis, quia non est gravis deordinatio etiam liberrimè amplecti materiam leviter difformem rectæ rationi. Talis ergo ratio generica malitiæ singularizatur per singularem libertatem eo modo, quo ratio generica representata singularizatur à cognitione singulari illam repræsen-

tante, Izquierdo *num. 82.* Vide Sanchez, *num. 5.*

Si peras contra quale præceptum sit ejusmodi peccatum veniale. Respondeo esse contra præceptum naturale; est enim contra lumen naturale agere malum; spectat ad infimam speciem vitij (cujus nomen proprium non constat) species enim infima est ratio quædam communis abstracta à pluribus individuis perfecte similibus, sed ratio generica hujus mali actus est abstracta à pluribus individuis perfecte similibus, nempe ab actibus particularibus peccaminosis individuantes rationem generalem malitiæ. Izquierdo *num. 83.* qui *numero seq.* idem proportionaliter asserit de operatione facta dependenter a judicio proponente rationem honestatis cum præcisione à quantitate objectiva illius.

Pro praxi infero in casu dubij quati, rudes, simplices, & indoctos regulariter delinquere solum venialiter, quia non advertunt ad periculum, nec ad obligationem inquirendi: è contra doctos communiter esse reos mortalis culpæ, quia communiter agnoscunt obligationem indagandi mali gravitatem. Tamb. *lib. 1. Decal. cap. 1. §. 3. num. 22.* etiam doctos excusans, quando inculpate non advertunt ad gravitatem mali generatim propositi.

§ 37. Dixi initio *n. 528.* ut actus impuretur ad bonum, aut malum morale, tria requiri generatim, nimirum quædam ex parte objecti: alia ex parte intellectus, demum etiam aliqua ex parte voluntatis. De primis duobus hucusque disputavimus à *num. 528.* Restat, ut expediamus ultimum.

Dico

Dico ergo ad omnem moralitatem tam honestam, quam turpem ex parte voluntatis est necessarius aliquis consensus (nullus enim actus moralis potest esse imputabilis, nisi sit voluntarius per *num.*

451. & sequentes) cujus nomine per *num.* 517. intelligitur omnis voluntatis objecti propositi boni, aut mali approbatio tam efficax, quam inefficax; e contra per dissensum voluntatis venit omnis reprobatio, seu actus reprobans objectum honestum, aut inhonestum.

Est ergo consensus concordia voluntatis ad aliquid faciendum, si est efficax, aut simplex complacentia in objecto cognito illic haerens, quin impellat ad executionem, prout fit, quando consensus est inefficax, solétque vocari morosa delectatio.

Dissensus verò voluntatis est hujus discordia, seu nolitio ad aliquid exequentum; si hoc est praecipuum, dissensus est peccaminosus, honestus verò si reprobatur executionem mali cogniti.

Et similiter efficax, aut inefficax: efficax quid, & quotuplex sit exposui à *num.* 518. inefficax dissensus est simplex displicentia, quæ si sit de bono praecipuo, est peccatum: si displicet malum, est actus laudabilis: cum ea stare potest efficax complacentia, & volitio oppositi per *nu.* 519.

538. Consensus (idem dic de dissensu) alius est plenus, alius non plenus: plenus est, quando voluntas plenæ advertentiæ, seu deliberationi acquiescit, eaque delectatione frui vult: si in hac præcisè sistat, consensus dicitur morosa delectatio, si ergò ulterius in opus tendat, est propositum, sive desiderium:

R. P. Karch. Diss.

e. g. sentit quis in Corpore, vel appetitu sensitivo delectationem, hanc intellectus proponit voluntati ut jucundam corpori; si voluntas eam amplectitur dicitur consentire.

Quod tripliciter fieri potest, seu est triplex consensus. Primus est expressus, ac formalis positivus, ut si delectationem, quam caro sentit, positivè approbet, & amet. Secundus est negativus solum, quando delectationem sentiens, & illam advertens per voluntatem nec positivè approbat, nec positivè reprobatur, seu aversatur, ac reprimat, sed purè se habet negativè nec amplectendo, nec repellendo: hic consensus etiam solet dici interpretativus. Tertius est virtualis, quando voluntas delectationem propositam, seu motum venereum in se ipso non intendit, sed liberè ponit causam cum prævisione securæ inde delectationis. Hic consensus vocatur etiam indirectus, formalis verò dicitur directus.

Consensus non plenus, seu semiplenus est primò omnis consequens ad advertentiam semiplenam, id est talem, quam habent semisopiti, aut semiebrii, aut valdè distracti, aut turbati varijs passionibus non sinentibus plenè advertere, Sporer *p. 1. Theolog. Mor. cap. 5. nu.* 12. Sanch. *lib. 1. Decal. cap. 1. num.* 10. Secundo semiplenus seu imperfectus consensus est omnis tepiditas in pravis coërcendis moribus etiam consequens ad plenam advertentiam, Sanch. *n.* 12.

Semiplenum consensum sufficere ad veniale, secus ad mortale est certum Sanch. *cit. juncto num.* 10.

F ff

Tam

Tam plenus, quam semiplenus, est absolutus, aut conditionatus, ille tendit in objectum nulli affixum conditioni, secus conditionatus.

539. Indubitatum est consensum formalem plenum in materia gravi tam absolutum, quam conditionatum sub conditione opposita non auferente malitiam sufficere ad lethale peccatum.

De consensu negativo est lis, an sufficiens sit ad mortale? communior cum Vasq. 1. 2. D. 108. cap. 2. affirmat; credunt hi Doctores: quod negativè se habens perinde se gerat in morali aestimatione, ac si directè consentiret, ideo consensus iste nuncupatur interpretativus, eò quòd communis existimatio interpretatur illum consentire. Negat Laym. lib. 1. tract. 3. cap. 6. num. 8. cum pluribus apud Vasq. cap. 1. Hanc difficultatem fusius proposui, & solvi num. 102.

Respondeo cum distinctione: consensum purè negativum sufficere ad mortale, quando est periculum consensùs. Ita omnes: quale omnino est circa res venereas in Veneri assuetis, secus probabiliter in non assuetis, dummodo voluntas habeat positivam displicentiam de motibus excitatis, ac sensibili delectatione. Ita cit. Laym.

Consensus virtualis, seu in causa, aliquando sufficit, aliquando non ad culpam lethiferam etiam in causa per se efficaci, nimirum dum non est obligatio vitandi causam per fusè disputata præsertim à num. 41. & a. 52. & a. 71. usque ad 117. à quo numero agitur de effectibus à luxuria distinctis in causa prævisis,

an & quando adsit consensus indirectus in eos lethalis.

Consensum simplicem, ac inefficacem, quando est de opere cogitato mortali, sufficientem esse ad mortale sentiunt omnes apud Carden. *Cris. Theolog. D. 41. num. 65.* ut patet in delectatione morosa de rebus venereis, & gaudio de præteritis actibus lethiferis.

540. Quares unde dignosci possit, dum in particulari dubitatur de pleno consensu, aut usu rationis, an fuerit plenus usus, aut consensus? Respondeo à Theologis adferri satis probabilia indicia apud, & cum Sanch. lib. 1. *De cal. cap. 1. à num. 17.*

Primo non est censenda plena advertentia, aut consensus, quando est dubium, an dormiens, vel vigilans præfens, vel distractus aliquid volueris, vel dixeris, vel feceris.

Secundo, si fuisti semisopitus, vel semiebrius, vel passione vehementissimè turbatus, vel valde distractus: usus enim plenus rationis authorem de suis actibus certiore reddidit.

Tertiò, si non es executus, quando facile poteris exequi, præsertim si antea sapius firmiter proposuisti non peccare, ubique redditus eodem modo tentis.

Quarto, si ad motum pravum insurgentem, quamprimum intellectus advertit peccati mortalis periculum, tristitiâ, ac timore concutitur, mallèque eum abesse quàm adesse.

Quinto, consideranda est præcipue personæ qualitas, quæ si est timorata conscientia, id est, solita est pravæ tentationis

raciones repellere, in dubio consensus, prudenter praesumit se non consensisse saltem plene: oppositum praesumendum, quando est laxa conscientiae, solentque consentire, aut de bona conscientia parum curare.

Sexto, post plenam advertentiam si praecise voluntas est tepida, ac negligens in repressione pravae suggestionis, seu non tam cito, ac ferventer resistit cum firma voluntate, non consentiendi, est duntaxat veniale.

Ex hoc indicio colligitur veritas doctrinae à S. Ignatio nondum literis exculato traditae in libello *Exercitiorum de examine conscientiae* verbo de cogi-

tatione à Sede Apostolica approbato. *Peccat autem inquit leviter aliquis, seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione, aliquantulum immoratur, quasi auscultando, vel quando obiter aliquam sensus delectatione afficitur, vel in ea recundenda sese exhibet negligentem.*

Septimo ex perseverantia sensibilis voluptatis post perfectam cognitionem ejusdem non colligitur consensus, quia appetitus sensitivus non obedit despotice voluntati imperanti per

num. 495.



§. V.

An, ut actus sit moraliter honestus, aut inhonestus, necesse sit illum fieri ex motivo honestatis, vel inhonestatis?

541. **I**N secunda parte quaestionis praesentis omnes concorditer apud Izquierdo *de DEO D. 35. num. 141.* allerunt: ut actus sit inhonestus, necessarium non esse, ut ejus motivum sit turpitudine, aut finis vitij, ad quod spectat. Ad rationem malae actionis, verba sunt Vasq. *1. 2. D. 73. cap. 7. num. 32.* non requiritur, ut affectus feratur in opus malum propter ipsam malitiam (imo sic ferri in malum est impossibile, alias malum ut tale amaretur) neque

propter ipsum opus malum secundum se, aut sub aliqua peculiari ratione, sed sufficit indirectum voluntarium etiam ex ignorantia vincibili. Quapropter *Disp. 51. cap. 3. num. 12. junct. 20.* tradit actum morale malum malitiam desumere etiam ex medio malo secundum se considerato praeter illam, quam habet à fine, ut si quis occidat propter furtum, occisio haec est mala malitia tum furti, tum homicidij: ut enim malitia desumatur ex re volita, non requiritur, ut sit volita ex

FFF 2

hoc

Loc, aut illo motivo, sed satis est esse volitam quovis modo, etiam indirectè interdum, ut constituat eandem speciem peccati, quam constitueret expressè volita. E.g. sive quis ex odio, sive ex avaritia, sive ex alio motivo velit occisionem hominis, est ejusdem generis peccatum in esse homicidij; licet illi adjuncta sint alia species peccati, puta odij, avaritiæ, &c. quia, inquit, ad malitiam pauciora requiruntur: quàm ad bonitatem: ad malum enim sufficit quisque defectus requisitorum ad bonitatem; bonum verò postulat integram causam. Teste Dionysio *de Divin. Nominib.* c. 4.

Econtra ut actio sit bona, requiritur bonum objectum, & esse volitum propter se ipsum, vultque actum Electionis medijs non solum indifferentis, sed etiam honesti sumere speciem ex solo fine, nullam verò ex medio secundum se considerato ut tali, etsi honesto.

Tria sunt necessaria, ut actus sit moraliter studiosus; nempe ut sit actus alicujus virtutis, sit circa objectum bonum, fiat à sciente, & propter ipsum actum virtutis, hoc est, propter honestatem virtutis, unde operans opus virtutis alicujus E.g. justitiæ allectus bonitate delectabilis aut alterius virtutis faciet justum, sed non justè. Ut ergo in aliqua virtutis materia acquiratur habitus virtutis ad eam spectans, necesse est, ut fiat propter ipsum opus, seu honestatem talis virtutis, & non propter aliud motivum. Idcirco, dum quis eligit opus unius virtutis ex intentione finis alterius virtutis e.g. opus temperantiæ, aut ca-

stilitatis ex voto, seu ex fine Religionis, electio non est honesta honestate temperantiæ, & castitatis, sed virtutis Religionis, id est, electio hæc solam habet bonitatem finis.

542. Doctrinæ huic Patris Vasq. si opponas S. Th. 2. 2. q. 124. Art. 2. ad 2. quod Martyrium sit opus elicitum à fortitudine, & substantialiter ad eam pertineat, sit autem actus imperatus à charitate, ergo est actus fortitudinis, & simul charitatis, ergo non solum charitatis. Secundo si opinio Vasquez est vera, sequitur perinde esse ex intentione charitatis eligere e.g. actum Eleemosynæ, quàm quemvis alium etiam nobilioris virtutis, foreque par meritum ex fine charitatis jejunare, ac Martyrium subire ex eodem fine, quod est omnino absurdum, cum ex circumstantia *quibus auxiliis*, quæ videtur esse in medijs, derivaretur etiam bonitas in actum.

Respondet ad primum *cit. c. 3. num. 14.* negando actum Martyrij imperatum à charitate esse simul elicitum à fortitudine, & imperatum à charitate, hoc enim non intendit S. Thomas, sed uti expressit 1. 2. q. 13. Art. 1. in Corp. opus illud materialiter est fortitudinis (id est propria materia, circa quam fortitudo elicere solet affectum suum proprium) formaliter autem esse opus charitatis, quod perinde est, ac speciem formalem habere à charitate. Uti constat ex contextu.

Respondet ad secundum *num. 15.* quod melior sit electio operis virtutis melioris, non quod ex hoc attrahat peculiarem bonitatem specie diversam, sed quia medium tale, cum sit magis idoneum

neum, facit meliorem intentionem, & ideo est nobilior actus dare Eleemosinam ex fine charitatis, quam jejunare: per actum enim primum DEO volumus majus bonum, quam per secundum, & idcirco crescit meritum, bonitas intentionis, ac virtutis, quæ tribuit formalem rationem actui electo.

Si instes dum quis imperat ex charitatis fine actum temperantiæ, aut justitiæ, seu quia DEO bonum est, vult tale opus, quia DEO placet, DEO autem placet tale opus, quia nobis honestum est, ergo is fertur in ipsam honestatem virtutis temperantiæ aut justitiæ, vultque illud opus, ut bonum DEI est; proinde idem opus erit elicitedum à charitate, & ab alia virtute morali, puta temperantiæ, aut justitiæ.

Respondet *num* 17. bonum honestum in opere moralis virtutis est tale non respectu DEI, sed nostri, quia nobis, non DEO honestum est, hoc ipso autem, quod nobis sit honestum esse ex genere suo, aut præceptum, reperitur in eo etiam bonum DEO delectabile, cum sit opus secundum ejus voluntatem; unde dum exercemus opus temperantiæ ex charitate DEI, illud DEO volumus ut bonum ei delectabile ex complacentia illius, seu quia illi placet, non autem volumus ut DEO honestum, cum non sit DEO honestum nos comedere temperate: nec nobis volumus idem opus temperantiæ ex complacentia ut honestum, quia sic idem actus haberet duplicem finem *enim*: nempe DEUM, & hominem, ac duplicem finem *qui*: nempe honestatem virtutis temperantiæ,

& divinam bonitatem, quod negat fieri posse.

Verum quia sicut communis sententia admittit eundem actum intellectus posse esse Fidei, Scientiæ, & Opinioni: ita nullum est absurdum eundem esse actum virtutis moralis, & virtutis Theologicæ. Quæ enim inconvenientia? ut voluntas in allato casu amet opus temperantiæ propter bonitatem DEI velut finem *qui*, seu *cujus gratiâ*, & simul etiam propter honestatem relucens in mediocritate cibi, potusve sumendi.

543. Quæstio modo est de prima parte §. An sicut ad inhonestatem actus satis est advertere ad malitiam ejus, ita sufficiat ad contrahendam operis honestatem id facere ex advertentia ad hanc? Affirmat quidam Recentior apud Comptonum *hic D. 89. S. 5.* Negant reliqui, & quidem potiores petunt ad honestatem actus pro motivo ipsam honestatem, alij apud Izquierd. cit. poscunt pro motivo ejus finem virtutis, plerisque tamen hos inter se existimat convenire, quasi finis virtutis, & honestas virtutis, actus nempe externi, qui est objectum interni, unum, & idem sint. In qua sententia esse Vasq. quando finis actus interni est operatio externa operantis patet ex *num* 525. constatque ex *num* 541. & sequenti.

Potiores esto concordent cum Vasq. requirentes pro motivo ipsam honestatem, in modo tamen loquendi satis confusè explicant; licet consentiant, quod ad honestum actum non sufficiat objectum, aut hujus circumstantias esse materialiter, & directè volitas, sed debeant

habere rationem objecti formalis, id est, ideo objectum, & hujus circumstantiæ debeant esse volitæ, quia sunt honestæ. Ita Haunold. *Lib. 2. Theolog. num. 360.* Rhodes, &c.

Alij cum Herinx hic *D. 3. num. 56.* non exigunt, ut voluntas actu signato, formali, ac expresso appetat particulare honestum sub ratione honesti in genere. E. g. ideo det Eleemosynam, quia est honestum; sed sufficit, si actu velut exercito tendat in particulare objectum honestum propter se, aliàs pauci honestè operarentur defectu cognitionis universalis honestatis, quam rudes formare non possunt. Hoc sequitur Platel. *p. 2. Synopsis Curs. Theolog. num. 89.* actus inquit voluntatis debet saltem confusè, & in actu exercito tendere in objectum propter ejus honestatem ut rationem formalem. Ratio quia voluntatis prosequentiis motivum necessariò est aliqua bonitas, non utilis, aut delectabilis, seu jucundi, & commodi: nam ut bene Morat. *hic D. 1. S. 3.* observat, utilitas, & delectabilitas est indifferens tam ad bonum, quàm ad malum morale, ergo ab ea ut tali actus nequit evadere honestus materialiter: ergo movere debet bonitas honesta saltem confusè amata, quod fit, quoties objectum de se honestum non representatur, nec appetitur sub ratione boni utilis, vel delectabilis; tunc enim exercitè cognoscitur, & appetitur sub ratione honesti ut contracti, ac exerciti in hac materia particulari, circa quam versatur. E. g. à sublevante proximi miseriam per Eleemosynam, licet reflexè, & formaliter nihil cogitet de honestate. Econtrà ut actus sit moraliter malus, nec

confusè, aut exercitè debet amari malitia, sed satis est ponere actum malum cum advertentia ad malitiam per *n. 541.*

544. Dico primò ut actus sit moraliter honestus, non requiritur, ut ejus formale objectum motivum sit bonum honestum, Ratio quia aliàs actus charitatis puræ divinæ, aut non esset possibilis, aut, si esset possibilis, non esset honestus: utrumque est falsum, ergo etiam est falsum ad actum moraliter honestum pro motivo formali requiri bonum honestum. Major probatur quoad primam partem: pura charitas divina habet unice pro objecto divinam bonitatem, sed hæc non esset unice ejus objectum formale, siquidem actus divinæ charitatis est etiam moraliter honestus, ergo deberet moveri etiam ab honestate distincta à divina bonitate, hæc enim non est honesta: honestas namque est formaliter bonitas respectiva per *num. 499.* quæ quæ talis amari non potest non amato subjecto, cui est bona; est autem bona naturæ rationali ut tali operanti, ergo hæc deberet amari per quemvis actum honestum, proinde omnis actus honestus esset actus propriæ benevolentia: vellet enim bonum ex sui complacentia, quod proprium est benevolentia: propriæ, divina autem bonitas est absolutum bonum.

Hæc conclusio est Izquierdo *num. 150.* eadem major probatur quoad secundam partem: ille actus non est moraliter honestus, qui pro formali objecto non habet honestatem, sed actus charitatis puræ divinæ pro formali objecto non habet honestatem, ut probatum est.

545. Dico secundo: ut actus sit mora-

moraliter honestus, necesse est, ut procedat, seu moveatur à proprio suae indistincto à bono absoluto virtutis, cujus est ille actus. Ita Izquierdo *num.* 141. *juncto n.* 155.

Ut probetur conclusio notandum cum cit. Authore: de essentia cujusvis moralis virtutis esse per se, & directe intendere, procurare, & ponere bonum aliquod ut finem proprium: cujus boni positio, si præter virtutis intentionem aliunde per accidens proveniat, non spectabit ad munus proprium talis virtutis. Illud bonum, quod ut proprium finem intendit quævis virtus præter bonitatem respectivam honestatis (vi cujus formaliter respicit personam velut subjectum cui congruit) includit bonitatem absolutam, quâ in se bonus est ipse finis per *num.* 500.

Jam probatur conclusio: cujusvis virtutis proprium est adstruere aliquod bonum, ut proximè est dictum, patetque inductione omnium virtutum: sed illud bonum nequit non esse proprius finis, ergo cujusvis virtutis est adstruere bonum aliquod ut finem proprium, sed tale bonum non potest esse bonum honestum, ergo debet esse bonum absolutum explicatum *num.* 500. quod cum sit specie diversum pro diversitate finium, quos diversæ virtutes ut proprios respiciunt, exinde virtutes, & harum actus specie differunt in honestate; etsi hæc non sit formale objectum, sed bonum absolutum.

546. Porro fines virtutum sunt in triplici classe Izquierdo *num.* 147. & *num.* 146. Primo finis aliquarum virtutum coalescit partim ex aliquo morali,

partim ex aliquo, aut pluribus physicis. Sic finis proprius justitiæ est partim quid physicum, nempe collatio externa e.g. pecuniæ, partim quid morale, nempe volitio interna debiti compensativa, qualis esse non potest collatio physica externa, nisi prout subest voluntati internæ compensativæ, à qua effectivè causatur moraliter, & imperative, & simul cum hac formaliter constituit actum externum in esse finis proprii virtutis justitiæ; quapropter volitio interna, cum sit actus talis virtutis habens pro fine talem denominationem moralem actus externi à se partialiter constitutam, habet se ipsam aliquantulum pro objecto. Sic volitio solvendi debitum est actus justitiæ habens pro objecto collationem pecuniæ ut debiti solutivam, quam in esse talis volitio interna ut ejus forma extrinseca denominat & constituit.

Ejusmodi volitionum constituentium fines virtutum hujus classis objectum est explicandum ad modum, quo exponitur objectum volitionis superioris obligantis subditum medio præcepto, aut objectum volitionis, quâ quis se alteri obligat mediâ promissione, aliòve contractu, aut objectum volitionis divinæ condonandi, aut puniendi peccata, aut remunerandi merita: in quibus, nisi dicatur, quod ejusmodi volitiones sint partiale objectum, vix hoc explicari potest. Hæc omnes pro objecto habent denominationem moralem, nempe vel obligatum subditum, aut se alteri, aut peccatum condonatum, aut punitum, aut præmiatum meritum, sed omnium talium denominationum unum ex fundamentis est ipsa volitio, ergo non potest non

non se ipsam in ijs confusè contentam habere pro objecto, sicut definitio definitionis in hac definita se ipsam confusè sub conceptu communi tangit, ita Izquierdo *num. 148.* notans, quod refugientes hunc explicandi modum, ægre se valent extricare, ut videre est apud Lugo *de Penit. D. 7. S. 9.*

Similem finem respicit virtus gratitudinis, liberalitatis, misericordiæ &c. sic collatio pecuniæ, si fiat à volitione interna gratificandi, cum hac constituit finem proprium gratitudinis, si imperetur à voluntate liberali: ut misericordiæ est proprius finis virtutis liberalitatis, aut misericordiæ. Harum igitur, & similitum virtutum finis proprius constituitur partim per quid physicum, partim per quid morale.

Finis virtutum secundæ classis est quid purè physicum: sic habitus fidei finis est ipse actus fidei, virtutis veracitatis ipsa veritas, fortitudinis finis est ipsa mediocritas in irascibilibus, temperantiæ finis est ipsa mediocritas in concupiscibilibus.

Tertiæ classis virtutum finis sunt soli actus voluntatis ad eos spectantes: ejusmodi virtutes sunt habitus charitatis, & spei divinæ, virtutis benevolentiae erga se, aut alterum &c. habitus nempe charitatis pro proprio fine respicit suos actus, quos ut finem suum intendat voluntas secundum charitatem operans, sufficit, quod eos eliciat, eliciendo enim saltem æquivalenter, aut exercitè eosdem elicere intendit. Honestas materialis actus charitatis est ipsa substantia illius, quæ si præcognoscitur illi annexa

per libertatem ejusdem, actus evadit formaliter honestus ac imputabilis. Idem dic de alijs virtutibus hujus tertiæ classis.

547. Quæ Doctores nobis contrarij ex Aristotele, & rationibus pro se adducunt, plus non evincunt, quam quod nemo honeste operetur honestate certæ virtutis, nisi pro motivo habeat finem proprium talis virtutis, secus honestatem; quam esse diversam à fine proprio patet ex *num. 544. & seq.* finis enim proprius cujusvis virtutis est bonum absolutum, honestas autem est bonum respectivum.

Unde ut actus aliquis voluntatis contineat honestates plurium virtutum e.g. elemosinæ, pœnitentiæ &c. necesse est, ut per se, & directè intendat earundem virtutum fines proprios; non sufficit esse prævisos, cum munus proprium virtutis sit ponere suum finem per *num. 545.*

Et si Maurus *lib. 8. de Justitia. q. 183. num. 5.* velit singulas virtutes pro aliquando obligare ad ponendum suum proprium finem, nihilominus rectè subdit *num. 8.* easdem non obligare, ut omnia præcepta sua impleantur ex proprio fine, seu proprio formali objecto: sic præceptum justitiæ obligans ad non furandum relinquit libertatem non furandi ex quocunque motivo; præceptum stringens ad restituendum est contentum restitutione factâ ex quovis motivo.

Ex quo *num. 10.* deducit; virtutes per singula præcepta obligare duntaxat ad rem præceptam materialiter; secus ut fiat ex motivo honesto, aut non inhonesto,

sto, aut secundum nos ex fine proprio.

Hinc fieri potest, ut per eundem actum satisfiat uni præcepto, violeatur verò aliud; ut si alienum restituas ob vanam gloriam, satisfaciis justitiæ, & lædis præceptum vetans vanam gloriam: imò ejusdem virtutis præceptum unum materialiter potest impleri, & simul violari aliud per eundem actum; ut si restituas alienam rem minoris pretij, ut fureris rem pretij majoris.

Claudo hunc §. advertendo: quod ad finem proprium virtutis etiam pertineat carentia finis oppositi vitij; sic ad finem justitiæ spectat non sola omissio furti, sed etiam restitutio debiti, per quam tollitur finis injustitiæ. Izquierdo *num.* 149. ex quo merito scribit *num.* 194. finem virtutis constari semper ex duobus; uno positivo, altero negativo; nempe ex actu positivo virtutis, & omissione vitij oppositi. E contra finis vitij saepe etiam coalescit ex actu positivo vitij, & ex omissione actus virtutis sibi oppositæ: aliquando tamen consistere in solo actu ejus positivo, nimirum tunc, quando virtus opposita non præcipit, sed solum consultit suum actum, quo casu omissio hujus non est prohibita, consequenter non mala. E contra quoties actus virtutum sunt præcepti, toties omissiones sunt moraliter malæ.

§ 48. Dices pura omissio actus peccaminosi nequit esse honesta, & meritoria, ergo nec pura omissio actus prohibiti potest esse inhonesta, & demeritoria.

Respondeo antecedens esse incertum: id quidem concedit Arriaga. de *R. P. Karch, Diss.*

Anima *D. 8. S. 6.* Carleton *ibid. D. 26. & tract. 1. Theolog. D. 126. S. 7.* Affirmat verò Ruiz de Providentia *D. 37. S. 1.* esse posse meritoriam præmij naturalis. Ripalda de Ente supernaturali *D. 70.* extendit etiam ad supernaturale præmium à *num. 7. ad 49.* quæ sententia teste Izquierdo de DEO *D. 30. num. 284.* satis probabiliter adstruitur conformiter Sacræ Scripturæ, Patribus, & rationi.

Respondeo nego antecedens, & quidem primò, quoad primam partem, ajo esse per se, & de suo honestam honestate materiali independentem ab omni alio fine: quod enim per se est laudabile, etiam est per se, & ex suo honestum, sed omissio actus vitiosi est per se, & proprio fine laudabilis secundum illud Ecclesiastici 31. *Qui potuit facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Quod autem ex proprio fine sit laudabilis patet; nam omissio actus vitiosi est finis partialis proprius e. g. virtutis justitiæ, non minus quam actus positivus restitutionis, sed positio hujus independentem ab alio fine est laudabilis, & honesta, ergo etiam omissio actus vitiosi, nempe furti oppositi virtuti justitiæ est independentem ab alio fine per se ipsam laudabilis, & honesta interpretativè, id est, in æstimatione humana æquivalet actui positivo volenti omittere furtum; proinde sicut voluntas solvendi debitum cum prævisione materialis honestatis in ea solutione inclusa est imputabilis propter se ipsam, ac laudabilis, ita volitio liberè omittens furtum propter se ipsam, nempe propter negativam physicam suam bonitatem cum prævisione

Ggg .

ejus-

ejusdem honestatis materialis est imputabilis æquivalenter, & honesta. Hinc.

Respondeo negando idem antecedens quoad secundam partem, quod non sit meritoria præmij naturalis: quod enim est laude dignum, & in se honestum, est dignum aliquo præmio saltem naturali. Ita Izquierdo utramque partem antecedentis factæ objectionis negans *D. 35. à num. 196.*

549. Dixi *saltem naturali*, quia difficilius est, an possit esse meritoria præmij supernaturalis? nam ad meritum vitæ æternæ est necessaria supernaturalitas quoad substantiam, sed hæc non potest esse intrinseca omissioni secundum se, utpote in se naturali, & purum nihil.

Respondet Ripalda *cit. à num. 45.* omnino secundum se non esse supernaturalem, utpote nihilum, esse tamen supernaturalem intrinsecè ut moraliter honestam: ommissio enim secundum se indifferens, ut dependeat à voluntate regulata à cognitione indifferente naturali proponente ejus negativam bonitatem absolutam, & materialem negativam honestatem, vel à cognitione in substantia supernaturali: si regulatur à cognitione naturali, est libera, & moraliter honesta honestate naturali, eique ut moraliter honestæ est intrinseca libertas, & honestas moralis naturalis constituta intrinsece per principia indifferentia effectiva naturalia, & cognitionem naturalem, &

qua talis est intrinsecè meritoria præmij naturalis, omissioni autem actûs vitiosæ elicite ut moraliter honestæ, à voluntate directa ad hanc eliciendam à cognitione supernaturali in substantia convenit, quod ut moraliter honesta seu ut includens cognitionem supernaturalem sit intrinsece sub hac denominatione supernaturalis, proinde apta mereri præmium vitæ æternæ (quia licet formaliter non sit opus supernaturale, est tamen æquivalenter: voluntas enim per illam ita se exercet, ac si revera eliceret autem virtutis) esse enim liberum, & moraliter honestum in nostris principijs est denominatio semiextrinseca constituta partim per omissionem actûs, partim per actum primum proximum indifferentem constitutum per ipsam cognitionem indifferentem. Si autem sustineas libertatem esse essentialiter actui positivo libero, & omissioni; adhuc hæc poterit esse intrinsece, & essentialiter honesta, & supernaturalis: honesta, quia intrinsecè saltem virtualiter respicit motivum determinatum bonum propositum à cognitione naturali; supernaturalis verò, quæ essentialiter pendet ab illustratione supernaturali indifferenter proponente motivum bonum cum materiali honestate. Ita Ripalda *num. 47.* solvens argumenta contraria à *num. 49.* Hæc pro aliquali noticia insinuasse sufficiat.

* *
*





§. VI.

De moralitate conditionalium affectuum.

550. **H**ucusque disservimus de moralitate actuum dependentium ab absoluto iudicio, nunc inquirimus moralitatem, sive bonitatem, & malitiam actuum voluntatis imputabilem de objectis per iudicia conditionata propositis: id est, dum bonitas, & malitia cognoscitur sub conditione possibili, aut impossibili relinquente totam in objecto conditionato bonitatem, vel malitiam, aut hanc auferente. In hac frequenter practica quaestione diversimode loquuntur Theologi.]

Tres proponuntur cum suis fundamentis sententiae.

Prima est Izquierdo tom. 2. de DEO. D. 35. à num. 107. universaliter statuentis: quod iudicium conditionatum tam de malitia, quam de bonitate actus sufficiat ad imputabilitatem in ratione pura propositionis, id est: sit cognitio sufficienter directiva, ut actus evadat moraliter bonus, vel malus; idque extendit ad illos affectus conditionatos, quos velleitates nuncupamus, seu qui tendunt in conditionatum sub conditione iudicata ut impossibili, aut non purificanda; non enim minus est peccatum asserere ex animo: *Si haberem gladium, occiderem Petrum.* quam absolute dicere *volo occidere Petrum.*

E contra non minus laudabile est: *Si essem dives, erogarem eleemosynam.* Quam absolute decernere: *Volo dare eleemosynam.* Ratio quia id quod praestat absolute iudicium absolutum de bonitate, & malitia, praestat conditionate iudicium conditionatum, sed absolutum efficit, quod voluntas censeatur absolute efficaciter intendere bonitatem; vel malitiam, & ob id alterutra imputatur voluntati, ergo etiam conditionatum efficit, quod voluntas censeatur conditionate intendere alterutrum, & ob id est voluntati libera ac imputabilis.

551. Secunda sententia affirmat licita esse conditionata desideria conditionate desiderantia objecta jure positivo prohibita sub conditione totam malitiam ab eis auferente: sic licite quis desiderat: *Si liceret, aut si non esset vetitum, comederem carnes die Veneris.*

Huc revocantur objecta voto promissa: horum enim ommissio posset desiderari, ac licite capi delectatio sub conditione negante votum e.g. *si non essem professus, non fierem Religiosus, si non vovissem jejunium, ederem &c.*

De objectis vero jure naturae vetitis distinguit inter objecta, à quibus potest per intellectum malitia praescindi: & inter objecta ita intrinsece mala, ut pro nullo causa possint esse licita.

G g g 2

De

De prioribus asserit id, quod de jure positivo prohibitis: nimirum affectus conditionatos sub conditione tollente malitiam non esse saltem graviter illicitos. E.g. *Si DEUS concederet, vellem pradari: si essem iudex, hunc furem suspendere, hanc ducere, si non essem voto obstrictus.* Est communis teste Sporer *p. 1. Decal. cap. 6. num. 19.* ex Sanch. *lib. 1. Decal. c. 2. num. 24.* Valq. *1. 2. D. 110. cap. 24. num. 4.* Laym. *lib. 1. tract. 3. cap. 6. num. 10.*

Ratio quod affectus conditionatus feratur in objectum, non prout est in se, sed prout est propositum per intellectum sub tali conditione, sed sub hac nullam involvit malitiam, sed totam aufert, uti supponitur, ergo affectus talis conditionatus in nullam fertur malitiam.

Dixi *saltem graviter* illicitos: quia nisi sit finis honestus, tales affectus sunt communiter otiosi, atque adeo leviter mali: imò sæpe periculosi. Propterea Cajetanus *in summa verb. peccatum* vocat fatuas, & diabolicas tentationes præsertim in materia Venerea propter periculum excitandi Spiritus Venereos: & facilè uti observat Tamb. *lib. 10. in Decal. cap. 5. §. 4.* ejusmodi velleitates, & affectus formaliter inefficaces oriuntur ex actuali affectu peccaminoso: hac ratione facile peccat mortaliter adolescens ex turpi amore erga puellam dicens: *Hanc vellem tangere, si mea foret uxor.*

552. E contra de posterioribus objectis jure naturæ vetitis pro nulla circumstantia cohonestabilibus affectus conditionati sunt illiciti secundum gravitatem

objectorum. cit. Sporer *num. 10.* Sanch. cit. *num. 23.* Laym. cit. quia conditio adjecta impossibilis e. g. *si non esset peccatum, si liceret, &c. fierem hæreticus, DEUM destruerem &c.* malitiam aufere nequit: siquidem sub nulla conditione concipi possunt sine sua essentia, sed malitia est essentia hujusmodi objectorum, ergo sub nulla conditione possunt concipi sine malitia; proinde sub omni conditione affectus fertur in malitiam juxta suam gravitatem, consequenter est mortalis aut venialis.

Valq. *1. 2. D. 116. cap. 2. in fine.* liberat à mortali desiderium, quo quis optat fornicationem, aut alia jure naturali prohibita non esse prohibita, si finis movens ad talem affectum sit justus e.g. quia optans se scit fragilem, ac in id crimen sæpe lapsus. Reprobat Sanch. cit. quod hoc aliud non esset, quam optare ejusmodi objectorum essentia inversionem, ac naturæ ordinis mutationem; talis affectus optativus est gravius peccatum, quam semel aliquod ex illis peccatis committere, sed committens peccat mortaliter, ergo etiam optans.

Limitanda est hæc secunda sententia de objectis posterioris generis malis ita intrinsecè, ut sub nulla conditione purgari possint à malitia: illam veram esse, si dictæ conditionales exprimant affectum voluntatis actualem in malum per modum optantis, secus si duntaxat per modum enuntiantis significetur propensio in talem actum jure naturali prohibitum, nisi turpitudine actus deterreret; sic enim propensio in peccatum Sancto motivo reprimatur, & ideo caret culpa Sanch. *num. 25.* Pal. *p. 1. tract. 2. D. 2. p. 10.*

§. 3. num. 4. Tambur. §. 3. quorum ratio expresse asserit, ejusmodi affectibus indicari solam propensionem, etsi uterque simpliciter asserat cum Vasq. nunquam esse mortale tale desiderium, seu tales velleitates: nisi hæ imperentur ab aliquo actuali affectu mortali; talem indicat affectus conditionatus *destruendi DEUM, aut inimicum, si non esset peccatum*. Indicat enim actuale odium DEL, vel inimici. Aliud exemplum dedit num. 551. in fin. Vide Pal. simpliciter adhaerentem Vasquezio, ac diluentem argumenta Sanch. numero 23. & aliorum.

553. Tertia sententia est quorundam apud Cardenas *Cris. Theolog. D. 54. num. 29.* qui credunt omnes affectus conditionatos sub conditione impossibili auferente malitiam ferri in utramque partem contradictionis. Quia inquirunt, quævis conditio impossibilis infert ambo contradictoria, ergo infert malitiam, & simul hujus carentiam, ergo voluntas per affectum conditionatum fertur in malitiam, & in non malitiam: ergo amplectitur sub hypothese affectiva malitiam; nam à copulativa ad utramque ejus partem est evidens argumentum. Carden. n. 20.

Huius sententiæ falsitatem demonstrat hic syllogismus: *Omnis lapis est homo, Petrus est lapis, ergo Petrus est homo*: ubi conclusio est evidenter vera, esto præmissæ sint in se impossibiles: Eadem conclusio sequitur, si eadem præmissæ resolvantur in conditionales impossibiles: *Si omnis lapis esset homo, & Petrus esset lapis, Petrus esset homo, sed Petrus est lapis, ergo Petrus est homo*: in utroque syllogismo sola affir-

mativa conclusio ex impossibili sequitur, secus ambo contradictoria, licet in secundo major sit condicionalis impossibilis.

Hinc ipse à num. 30. statuit sequentem regulam discernendi hypotheses impossibiles utramque contradictionis partem inferentes à non inferentibus: non esse attendendum ad impossibilitatem, quam in se continet conditio, sed ad impossibilitatem, vel possibilitatem, quam importat conditio in actu signato, seu quæ ut talis proponitur intellectui ex parte hypothesis, sive conditionis. Unde licet conditio in se sit impossibilis, si tamen non impossibilitas sed possibilitas ejus proponitur intellectui, respectu talis intellectus non infert utrumque contradictorium.

E contra infert, si supponitur ut impossibilis: sic ex hac condicionali: *Si homo esset Chymara* (rectè sequitur utrumque) *quod esset, & non esset*: quia antecedens, id est, conditio proponitur ut impossibilis; è contra *si homo esset equus, esset hinnibilis*, spectatâ conditione nimirum *ly si esset equus*, infert solum hinnibilitatem, quia esto in se sit impossibile hominem esse equum, hanc tamen impossibilitatem non exprimit respectu intellectus conditio apprehensa, sed oppositum scilicet veram, & possibilem eorum prædicatorum identitatem.

Unde num. 32. concludit desiderium conditionatum etiam efficax sub conditione impossibili non inferente utramque partem contradictionis, non formaliter tendere in impossibile, seu in ambo contradictoria, sed in aliquid verum

rum, & reale veritate, & realitate, quam objectum conditionatum habet prout substans conditioni sic apprehensa.

Deciditur: an, & quid veri contineant relata à n. 550. sententia?

554. **D**uo præmitto: unum ex fine *num. 553.* mihi apparere veram regulam discernendi inter hypotheses impossibiles inferentes à non inferentibus ambo contradictionis extrema.

Alterum, quod delectatio de aliquo objecto possit esse mala moraliter; etsi ex parte objecti fiat præcisio ab omni malitia morali, e. g. copula conjugalis Petri cum Berta non est moraliter mala, & tamen si aliquis distinctus à conjugibus delectaretur illà, hæc delectatio est moraliter mala, non objective seu vi objecti (cum objectum nempe copula conjugalis secundum se sit licita) sed ex parte solius delectationis, quia jure naturæ est prohibitum, ne quis extra conjugium habeat delectationem sensibilem internam, vel externam circa copulam talem. *Cardenas Crisis Theolog. Diss. 41. num. 29.*

Item si amens Petrum vulneret, vulneratio hæc caret morali malitiâ defectu libertatis, est enim actio necessaria, proinde incapax moralis malitiæ: & tamen si quis liberè gauderet de vulneratione Petri, secundum omnes gaudium istud est peccatum, cujus malitia moralis cum non sit ex parte objecti, necesse se teneat ex parte gaudij. Idem est in blasphemia prolata à stulto, aut in imagine

sancta ab eodem conculcata: neutra actio ex parte objecti est moraliter mala, & tamen gaudens de istis actionibus ut irreligiosis peccat contra Religionem non titulo actionis irreligiosæ, utpote non peccaminosæ, ergo gaudium ejusmodi est moraliter malum malitiâ se tenente ex parte solius gaudij; quia gaudere contumeliâ DEO illatâ, aut irreverentiâ exhibitâ sacræ imagini est malum morale contra Religionem malitiâ se tenente ex parte gaudij, cit. *Carden num. 28. & 30.*

555. Dico primo judicium conditionatum in ratione puræ propositionis, seu repræsentationis sufficere, ut imputetur honestas, aut malitia. Ita Izquierdo, cujus sententiam relata *num. 550.* ob rationem ibi adductam amplector.

Dico secundò, desiderium conditionatum de objectis jure positivo sive humano, sive divino vetitis sub conditione removente ab illis malitiam totam e. g. si non essent prohibita, carere omni culpa. Hæc conclusio est secundæ sententiæ per *num. 551.* Ratio quia nulla malitia tunc repræsentatur in objecto prout substans tali conditioni e. g. *vesceret carnibus die Veneris, si lex Ecclesie non inhiberet; non confiterer peccata, si DEUS non præciperet; si non vovissem castitatem, ducerem uxorem:* nec actus conditionatus desiderij ex parte sui opponitur ulli virtuti, aliàs secluso præcepto de objecto esset inhibitus.

556. Dico tertio, desideria conditionata de objectis jure naturæ prohibitis (à quibus pro aliquibus circumstan-

tij

tijs potest separari malitia materialis) sunt licita pro jis circumstantijs, pro quibus & sub quibus representantur separata à malitia. Ita citata secunda sententia, quàm persuadet ejusdem ratio *num. 551. vers. de objectis vero*: nam prout vestita talibus circumstantijs sunt simpliciter honesta, nec desideria conditionatè tendentia in illa ut talia opponuntur ulli virtuti notabiliter secluso periculo affectus peccaminosi presentis, aut presentis delectationis sensibilis in materia venerea, ut notavi citato numero *vers. dixi salutem*.

Limitationem addo hic aliam: nisi ex illis objectis sit aliquod physicè malum alteri, & ut tale illi cuperet, aut de eo gauderet: cupere enim malum, seu noxium alteri ut malum illi, aut de eodem gaudere est odium contra charitatem pro nullis circumstantijs licitum; idem dic de affectibus conditionatis, qui etsi relatè ad objectum ut substans conditioni sint liberi à malitia, ex parte tamen actus adhuc opponuntur alicui virtuti; hoc probant exempla allata *n. 554. & afferenda à num. 558.*

Dixi ut malum illi: quia malum physicum sub ratione boni aliquando licitè est alteri optabile, & citra culpam de eo ut bono est gaudium licitum, de quo suo loco.

557. Dico quarto desideria, & affectus conditionales de objectis à lege naturali prohibitis intrinsecè, seu in se, pro nullis circumstantijs dishonestabilibus, in quibus conditio ab objectis excludit moralem malitiam, esse, quantum est ex parte objecti amari, licitos. Ita Cardenas *D. 54. c. 3*, cujus sententia est

Valq. Pal. & Tamb. per *num. 552*. Ante probationem apprime advertit Cardenas *num. 27*. cum actuum moralium ejusmodi malitia consistat in dissonantia cum natura rationali ut tali, & rectè ratione, hæc dissonantia constituat intrinsecè similes actus (e.g. mendacium, occisionem, Petri Machiam cum Berta, perjurium, infidelitatem, vulnerationem, aut occisionem DEI) est impossibile cognosci mendacium, occisionem Petri, &c. in se. non cognità dissonantià cum ratione, ergo ab hac intellectus præcindere non potest, sed duntaxat à differentiis dissonantiæ: & ideo, cum dicimus, *Si mendacium non esset dissonum rationi*, hic actus non est operatio intellectus præcipientis, sed negantis prædicatum de subjecto (quod subjectum constituit, prædicatum istud, *si esset dissonum rationi*) negat enim id ipsum, quod ex parte subjecti in se considerati seu in ly mendacium apprehenditur.

Verùm voluntatis etiam efficax affectus non sumit suam specificam malitiam ab objecto, quale est in se, sed ab objecto, quale proponitur per intellectum, ergo si per intellectum proponitur sine malitia, affectus etiam efficaciter id prout sic propositum appetens ab objecto nullam attrahit malitiam, idque procedit, etsi conditio, sub quâ proponitur, sit impossibilis in se; qualis est hæc: *Si mendacium non esset dissonum rationi, mentirer*. Quia non est attendendum ad impossibilitatem, quam in se continet, sed ad impossibilitatem, aut possibilitatem, quam significat, & quæ ut talis intellectui proponitur ex parte conditionis,

ditionis, ex parte autem conditionis in propositione proxima non proponitur impossibilitas mendacij seu contonantia & dissonantia mendacij cum ratione, sed solum non dissonantia, quæ est quid possibile, & reale, quæ conditio sic apprehensa cum excludat à mendacio dissonantiam; fit, ut affectus conditionatus mentiendi significatus per *ly mentirer* sit inculpabilis, prout subest tali conditioni ut in simili dixi n. 553.

Probatur nunc conclusio quarta: illi affectus sunt liciti ex parte objecti, qui feruntur in objectum immune à materiali malitia, sed affectus præfati conditionales, alijque similes habentes pro conditione quid excludens malitiam ab objecto. E.g. *Si mendacium non esset dissonum rationi, aut non esset malum, aut si esset bonum*, feruntur in objectum e.g. *in mendacium* sub conditione excludente malitiam à mendacio, ergo affectus præfati conditionales ex parte objecti sunt liciti. Confirmatur: hæc conditionalis est vera, & necessaria; *Si mendacium non esset malum, esset amabile* licite à voluntate, non minus, quam licite sit amabile ab eo, qui ex invincibili ignorantia putat mentiri non esse peccatum, ideo invincibiliter ignorans malitiam mendacij non peccat. Quia licet mendacium realiter, & in se sit malum, non tamen intellectui proponitur ut malum; sed etiam illi, cui proponitur sub conditione, quod non esset malum, non proponitur ut malum; sed potius ut non malum, ergo si licite est amabile ab eo, qui invincibiliter ignorat esse peccatum, etiam licite potest a-

mari ab eo, cui proponitur sub conditione, quod non esset malum.

558. Dixi in conclusione hac quarta: affectus conditionales esse licitos *quantum est ex parte objecti amati* seu, ex habitudine actus ad moralem objecti malitiam, quæ abesse supponitur vi conditionis illam excludentis; plerumque tamen ex habitudine oppositionis cum aliqua virtute, aut ex habitudine ad aliquam aliam circumstantiam sunt illiciti. Exempla hujus tria relege *num. 554.* & mox plura subjiciam: quosensu est vera sententia communis, de qua *num. 552.*

Dico ergo quinto: sæpe, ac communiter affectus conditionales, de quibus in conclusione quarta, esse moraliter malos malitiâ non derivatâ ex objecto, sed tenente se ex parte solius actus ex oppositione, quam habet cum aliqua virtute; aut ex habitudine ad aliam circumstantiam. Ita Cardenas *D. 54. c. 4.* sic primo iste actus: *mæcharer, si non esset peccatum*, ex objecto, quod est mæchia, à qua conditio separat malitiam, malus non est: si tamen DEUS talem actum prohiberet, fieret moraliter malus ex habitudine ad præceptum divinum à quo deviare; aut quod sæpe fit, si voluntas in eum erumpat ex motivo delectationis.

Secundo *si non esset peccatum, concumberem cum Virg.* hic actus ex objecto non fit inhonestus, est tamen summa irreverentia contra Religionem erga tam sanctam personam similem actum elicere, quis enim neget fore irreverentem audaciam præter malitiam mæchia? Si Reginam alloquens diceret:

Tecum

Tecum rem haberem, si esses femina vulgaris. Terio actus hi: *si non esset peccatum, essem Hereticus, pejerarem, DEUM occiderem, &c.* Spectato objecto liciti sunt; siquidem ab hoc excludit conditio omnem malitiam, sunt tamen gravissima peccata ex parte actus ob ingentem irreverentiam DEO debitam ex virtute Religionis, quæ non patitur etiam conditionaliter ita effari de DEO: nonne foret irreverens audacia dicere Regi: *si esset mihi licitum, tibi alapam impingerem?* Deinde primus actus: *si non esset peccatum, essem Hereticus:* Equivaleat isti: *si hæresis non esset peccatum, non crederem DEUM vera dicere:* Secundus equivaleat huic: *si perjurium non esset peccatum, DEUM invocarem, ut testetur falsum; aut affirmarem DEUM esse testem falsi.* Tertius huic: *si DEI occisio non esset peccatum, ego, si possem, occiderem DEUM:* Hi autem actus sunt horrenda peccata non ex parte objecti, sed actus.

Quarto iste actus: *si esset licita occisio Petri, eum occiderem,* hic actus ex objecto nequit esse malus, cum ab eo sit exclusa vi conditionis tota malitia, est tamen malus ex parte sui: nam adhuc in illa hypothese Petro occisio esset graviter noxia, sed velle Petro graviter noxia, est grave peccatum contra charitatem.

559. Contra conclusionem quartam acriter se opponit Sanch. cit. *Lib. 1. c. 2. num. 23.* cuius fundamentum Cardenas cit. *D. 54. à num. 18.* reducit ad argumenta tria sequentia.

R. P. Karch. Diss.

Primum argumentum est: actio efficiens injuriæ proximum libere, & advertenter est ab intrinseco dissona rationi, id est, indefectibiliter dissonat rationi, ergo est impossibile, ut dicta actio non dissonet rationi: sed quodvis impossibile constituitur utraque parte contradictionis, ergo desiderans aliquid impossibile, desiderat contradictionis partem utramque, ergo cum sit impossibile, ut actio efficiens proximum injuriæ non dissonet rationi, seu ut non sit peccatum, desiderans actionem proximo injuriosam, ut non sit peccatum, desiderat utramque partem contradictionis, nempe ut esset peccatum, & non esset peccatum, seu ut dissonaret rationi, & non dissonaret rationi: atque desiderium desiderans esse peccatum, & non esse peccatum est in genere moris dissonum rationi atque a deo moraliter malum per *num. 553.* sub principium.

Respondet Cardenas *num. 70.* concessio antecedente cum consequentia, & subsumpto antecedente, distinguit hujus primum consequens: desiderans aliquid impossibile propositum ut tale, sive ut impossibile desiderat utramque partem contradictionis concedo consequentiam, desiderans aliquid impossibile propositum ut verum & reale pro eo statu desiderat utramque partem contradictionis nego consequentiam.

Ad secundum consequens concedo, quod sit impossibile, ne actio injuriosa proximo dissonet rationi, sive ut non sit peccatum, si proponatur prout est in se, & à parte rei; nego autem esse impossibilem prout propositam intellectui pro statu conditionato sub conditione

H h h

remo.

removente ab ea actione injuriosa dissonantiam cum ratione, seu peccatum; proinde voluntas eam prout subest tali conditioni desiderans non desiderat ut impossibilem, sed ut veram, & realem pro tali statu conditionato, consequenter pro tunc non desiderat esse peccatum, & non esse peccatum, cum non desideret ut impossibilem sed ut possibilem, veram, ac realem, & ideo actioni præfata proximo injuriosæ, prout subest conditioni excludenti peccatum, convenit præcisè non peccatum, ergo eam pro tali statu desiderans non desiderat peccatum, sed præcisè non peccatum.

Instabis, conditio hæc: *Si actio injuriâ afficiens proximum non esset peccatum, est impossibilis*, ergo claudit utramque partem contradictionis, nempe peccatum, & non peccatum; idem enim est, ac si dicat: *si esset peccatum, & non esset peccatum*, sed volens afficere proximum injuriâ sub hac conditione vellet peccatum, ergo etiam volens illam sub conditione: si non esset peccatum, vellet peccatum.

Respondeo, distingo antecedens: est impossibilis in se, concedo antecedens. Est impossibilis prout proposita intellectui respectu actûs desiderantis, nego. Dum enim dicitur: *Si injuria proximum afficiens non esset peccatum*, ex parte conditionis apprehenditur ut vere, & realiter licita, & non prout impossibiliter licita. Eodem modo distingo consequens, claudit utramque partem contradictionis: si attendatur ad impossibilitatem, quam conditio in se importat, concedo consequentiam, si attendatur solum id, quod importat pro-

posita intellectui ex parte hypothesis, nego consequentiam.

Quare esto verum sit, quod sic dicens: *Si actio proximo injuriosa esset peccatum, & non esset peccatum*, vellet utramque partem contradictionis, consequenter vellet peccatum ob argumentum evidens productum sub initium num. 553. secus dicens: *si actio talis injuriosa proximo non esset peccatum*, prout proposita intellectui juxta dicta.

560. Argumentum secundum contra conclusionem quartam: peccat, qui desiderat licere illicita, peccatum esse bonum, & malum morale esse honestum sed qui ponit eam conditionem: *si actio Petro injuriosa non esset peccatum*, desiderat peccatum esse bonum, & malum morale esse honestum, ergo peccat. Major probatur: desiderans licere illicita approbat peccatum, sed qui approbat peccatum, peccat, ergo, &c.

Respondet num. 76. distinguendo majorem: peccat, qui desiderat in sensu composito licere illicita, id est, qui vellet ea, quæ sunt illicita, simul licere, concedo majorem, peccat qui desiderat in sensu diviso licere illicita, id est, qui desiderat, quod ea, quæ in una hypothesis sunt mala, & illicita, in alia hypothesis non sint mala, sed licita. Nego majorem. Eodem modo volens malum morale pro sensu composito esse honestum peccat, secus volens in sensu diviso, id est, in hypothesis, quod actio sit moraliter mala peccat volens eandem sub eadem hypothesis esse honestam; non autem actionem, quæ sub una hypothesis si est mala, volens eandem sub alia hypothesis non esse malam, sed honestam.

Ad

Ad probationem majoris distinguo majorem. Desiderans in sensu composito licere illicita approbat peccatum. Concedo majorem, desiderans in sensu diviso. Nego majorem. Vel sic approbat peccatum desiderans actionem malam reventâ malitiâ esse licitam, minimè autem volens actionem, quæ sub una conditione est illicita, sub alia conditione non esse illicitam, sed honestam.

561. Argumentum tertium. Actus efficax voluntatis fertur in totam substantiam actionis, qualis ipsa est, & à tota substantia sumit speciem, sed iste actus: *Occiderem petrum, si liceret* est actus efficax, nempe sub tali conditione, ergo iste actus terminatur ad totam substantiam actus occisionis, qualis ipsa est; sed hæc est in se intrinsecè dissona rationi, ergo terminatur iste actus ad occisionem in se intrinsecè dissanam rationi, & ab ea sumit speciem, ergo est moraliter malus upote efficax; hic enim fertur in occisionem acceptam cum omnibus formalitatibus, & circumstantiis. Inefficax è contra desiderium terminari potest ad unam formalitatem ut præcisam ab alia, uti probat Cardenas *Cris. D. 44. c. 3. Art. 3. Conclus. 5.*

Respondeo distinguendo majorem: Actus efficax fertur in totam substantiam actionis, qualis ipsa est, proportionate ad suum statum absolutum, vel conditionatum. Concedo majorem, aliter nego majorem, & datâ minori distinguo consequens: terminatur ad totam substantiam occisionis, qualis ipsa est, pro statu absoluto nego consequentiam, qualis ipsa est pro statu conditionato concedo consequentiam; efficax i-

gitur affectus conditionatus non fertur in totam substantiam occisionis, qualis hæc est in statu absoluto, sed terminatur ad totam substantiam occisionis, qualis ipsa est pro statu conditionato.

Quapropter desiderium absolute desiderans copulam cum Berta conjugata est in specie adulterij; è contra desiderans conditionate efficaciter copulam cum eadem, si non esset conjugata, est in specie simplicis fornicationis. Disparitas est, quod desiderium absolutum fertur in copulam cum Berta accepta cum omnibus circumstantiis, proinde fertur etiam in circumstantiam conjugij, in quam non fertur desiderium conditionatum; fertur enim in copulam cum Berta ut præcisâ à conjugio, Cardenas *num. 70.*

562. Ex his inferes primo desideria, quibus quis actus jure naturali vetitos desiderat esse licitos, esse moraliter licita ex parte objecti. V.g. *O si mendacium esset bonum, vel utinam fornicatio non esset peccatum.* Ita Cardenas *Crisis Theologica D. 54. à num. 54.* Ratio est, quia desideria ejusmodi nullum moraliter malum habent ex parte objecti. Sic primum desiderium habet pro objecto mendacium, non ut est in se, sed ut sub ratione boni propositum ab intellectu; secundum verò fertur in fornicationem ut propositam sub ratione non peccati, sed nec mendacium propositum sub ratione boni, nec fornicatio proposita sub ratione non peccati est malum moraliter, ergo tale desiderium nullum moraliter malum habet ex parte objecti, sed si ita est, talis desiderium ex parte objecti est moraliter licitum.

H h h 2

Infe-

Inferes secundo, plerumque ejusmodi desideria aliunde esse illicita ob oppositionem, quam habent ad aliquam virtutem, aut habitudinem ad aliquam illicitam circumstantiam conformiter conclusioni quintæ *num.* 558. Unde illicita sunt sequentia desideria: *utinam occiso esset licita, ut si Petrum occiderem. O si mihi liceret copula carnalis cum B. Virg. O si non esset peccatum DEUM contemnere, Eucharistiam, & Sacras imagines conculcare.* Hæc & similia desideria, licet ex parte objecti careant omni malitia ex parte tamen actus, seu sui opponuntur alicui virtuti ob rationes *num.* 558. primum enim desiderium est contra charitatem proximi; secundum contra virtutem Hyperdulie debite Beatissimæ Virgini; tertium contra Religionem, seu cultum debitum DEO, & Sacris imaginibus.

Inferes tertio; etsi conditio impossibilis adjecta in matrimonio habeatur pro

non adjecta, in alijs tamen contractibus habetur pro adjecta, ergo etiam in casu nostro: Pal. *tom.* 1. *tract.* 2. *D.* 2. p. 10. §. 3. *num.* 5.

Demum placet animadvertio Tamb. *lib.* 10. *Decal.* cap. 5. §. 5. Sporer p. 1. *Theolog. Mor.* cap. 6. *num.* 21. hos & similes affectus: *Si non esset infernus, peccarem: Si non essem Religiosus, fornicarem; si essem adolescens, me vindicarem, carnes comederem, si DEUM non timerem &c.* dupliciter efferi posse nempe optativè, & sic sunt peccata ejusdem gravitatis cum objectis; fiunt enim cum actuali affectu ad materiam peccaminosam, siquidem conditio non aufert malitiam. Secundo in sensu enuntiativo, id est, indicando solum infirmitatè propriam, quæ nisi consideratione status reprimeretur, aut timor DEI frangeret, erumperet in peccatum, & in hoc sensu carent omni novo, hoc approbat etiam Vasq. 1. 2. *D.* 116. cap. 2.

pet. n. 552.



§. VII.

An idem actus internus, aut externus, tam naturalis, quam supernaturalis possit esse moraliter bonus, & malus.

563. **D**ico primò: idem actus extrinsecus respectu ejusdem operantis eodem tempore potest elici ex finibus pluribus uno bono, & altero pravo;

atque adeo esse respectu finis boni extrinsecè bonus, respectu finis mali extrinsecè malus. Ita Hesinx hîc *D.* 3. *num.* 16. Ariag. Oviedo. Ripald. contra Marat. hîc

hic D. 12. S. 4. Ratio idem actus externus potest imperari per duplicem actum internum e. g. deambulatio ex fine sanitatis, & simul ex fine adeundi amantiam ob amorem carnalem; hoc casu deambulatio ex primo fine est extrinsecè moraliter bona, ex secundo est moraliter mala citra repugnantiam: imperium enim actui imperato efficaciter nullum dat esse, sed concurrit spure moraliter concursu inclinativo per n. 496. supponit conclusio posse duo imperia concurrere etiam adæquata ad eundem actum per num. 496.

Dico secundò, actus intrinsecè malus, sive externus, sive internus nequit esse extrinsecè moraliter bonus probatur: repugnat, ut amor mali sit moraliter bonus, sed actus imperans actum, sive internum, sive externum intrinsecè malum est amor mali, ergo repugnat, ut actus imperans actum intrinsecè malum sit moraliter bonus.

564. Dico tertio, actus intrinsecè bonus potest extrinsecè moraliter fieri malus. Haunold. lib. 3. Theolog. Scholast. n. 392. Ripald. de Ente supernaturali D. 50. à num. 5. cum Scotist. contra Vasq. 1. 2. D. 53. cap. 4. à num. 26. Rhodes hic D. 4. quest. unica S. 3. §. 2. probatur ex S. Th. quest. 2. de Malo. art. 4. ad. 2. in terminis docente: *Quod actus bonus aliquando maleficetur à malo, non quod in se ipso sit malus (dat exemplum in Eleemosina, vel dilectione DEI) sed quod feratur ad finem inordinatum cupiditatis, aut inanis gloria.*

Ratio desumitur à paritate actus externi imperabilis à malo interno per num. 563. ergo etiam actus intrinsecè

honestus etiam internus potest imperari ab actu interno intrinsecè malo, consequentia probatur: affirmatio enim, & negatio respiciunt diversa; esset namque bonus intrinsecè ut imperatus ex suo fine intrinsecè, seu vi proprii motivi, malus verò extrinsecè respectu finis sibi extrinseci, ad quem ex arbitrio imperantis ordinaretur.

Conclusio est vera non solum de actibus internis naturalibus, sed etiam supernaturalibus: per hoc enim, quod extrinsecè, seu denominativè evadant moraliter mali, substantia eorum manet invariata, ergo in se, seu intrinsecè sunt simpliciter boni; vi autem imperij fiunt extrinsecè mali, eundem autem actum esse intrinsecè bonum, & extrinsecè malum non est contradictio. Unde supernaturalitas non impedit, quò minus actus supernaturalis sit imperabilis à malo; supernaturalitas enim est indistincta ab actu imperato, à quo cum realiter distinguatur malitia actus imperantis, hanc non excludit actus imperati supernaturalitas.

Hujus dedi exemplum in tract. de Pœnit. potest quis erroneè judicare: quod confessio Sacramentalis non Sacrilega sit medium aptum comparandi vanam gloriam; hoc casu potest quis ex intentione vanæ gloriæ sibi imperare talem confessionem faciendam ex fine suo proprio, supponitur enim voluntas aliunde instructa omnibus requisitis ad necessarium dolorem supernaturalem, ne confessio sit Sacrilega: sic instructa voluntate DEUS est paratus concurrere ad eundem actum (supposita voluntatis determinatione per intentionem vanæ gloriæ)

doloris supernaturalis eliciendum è suo proprio motivo supernaturaliter proposito; ut enim dolor supernaturalis eliciatur ex motivo suo, imperium malum eum imperans non debet illam præcontinere; cum non aliter influat, quam inclinando voluntatem ad applicandam potentiam executricem: potest autem inclinare actus etiam inferior voluntatem ad eliciendum actum superiorem, & perfectiorem.

§ 65. Ex hoc principio *in tract. de Fide num. 389.* deduxi, quod actus fidei supernaturalis, consideratus ut est moralis dispositio, possit imperari à pia affectione, & simul ab imperio intrinsecè malo. Ita Plitel. *de Fide. num. 235.* Inde enim nihil sequitur, quam quod eadem Entitas physica actus fidei denominaretur simul extrinsecè moraliter bona, & supernaturalis à pia affectione supernaturali (ab hac enim habet fides, quod moraliter disponat ad sanctitatem) & quæ talis sit honesta honestate supernaturali, moraliter verò esset extrinsecè mala malitiâ actus mali imperantis: si imperium hoc sit mortale, fides talis non disponderet de condigno ad justificationem: è contra condignè disponderet ad hujus augmentum, si esset duntaxat venialiter malus.

Rursus hinc deducitur secundo: etsi entitas physica actus fidei supernaturalis possit imperari, vel à solo actu honesto naturali vel inhonesto, eo tamen casu fides non posset id sponere ad gratiam. Ita *Amic. de Fide D. 10. n. 120.* quia fides ut disponens ad gratiam est actus liber supernaturalis, & honestus honestate supernaturali hæc; honestate caret, sive imperetur ab honesto sive ab inhonesto naturali actu.

Quod autem fides supernaturalis Entitativè sumpta sive prout præcisè est actus intellectus possit imperari ab altero dicto actu, probatur: quia quæ talis non petit essentialiter libertatem, nec honestatem formalem, sed præcisè supernaturalitatem; huic autem non repugnat imperari ab imperio purè naturali etiam inhonesto.

§ 66. Deducitur tertio, sine contradictione posse eundem actum esse intrinsecè bonum, & meritorium, & extrinsecè malum, ac demeritorium: proinde posse intrinsecè præcipi, extrinsecè verò prohiberi, seu ne fiat ex pravo fine; hoc enim in re aliud non est, quam quod actus imperans sit prohibitus, & demeritorium, imperatus verò sit præceptus, & meritorium.

Nihilominus verum est, quod actus imperatus nequeat esse intrinsecè meritorium vitæ æternæ imperatus ab imperio mortaliter malo: sic enim esset meritorium intrinsecè vitæ, ac simul extrinsecè demeritorium ejusdem vitæ æternæ. At esse meritorium vitæ æternæ, & simul demeritorium Purgatorij stare possunt, consequenter imperium venialiter malum potest imperare actum supernaturalem fidei, spei, & charitatis inhærendo opinioni probabili: quod non quisque actus charitatis in via excludat omnia venialia; quia tamen excludit omnia mortalia, sequitur actum charitatis non posse imperari ab imperio mortali. Aliàs DEUS eodem tempore simul amaretur vi charitatis, & odio haberetur vi imperij: quæ ratio non pugnat cum quovis actu supernaturali alterius virtutis, atque adeo ex hoc

hoc capite potest imperari alius actus supernaturalis ex fine mortali: eo tamen casu actus intrinsicè supernaturalis non esset de condigno meritorius vitæ æternæ, sed duntaxat de congruo pro sensu diviso, secus pro sensu composito actualis peccati mortalis imperantis illum.

567. Dices primò cum Vasquez, Rhodes, &c. DEUS non potest dare gratiam ad peccandum, sed daret, si actus supernaturalis foret imperabilis à malo, ergo minor probatur, daret gratiam ad actum supernaturalem, hic enim sine illa non potest elici; sed actus supernaturalis imperatus à malo esset peccatum, ergo daret gratiam ad peccatum.

Secundò voluntas sine gratia nequit se determinare ad actum supernaturalem, sed posset se determinare, si conclusio tertia est vera: quia actus imperans est determinatio ad actum supernaturalem. Atqui actus imperans, utpote malus, fit sine gratia.

Tertiò initium justificationis secundum fidem non potest esse à nobis: esset autem à nobis, nam viribus naturæ elicitur actus malus imperans actum supernaturalem disponentem ad justificationem, hoc casu incipit justificatio ab imperio malo.

Respondeo ad primum: Concessâ majori, nego minorem, ad probationem distinguo majorem: daret gratiam ad actum supernaturalem ut intrinsicè bonum concedo majorem; prout substanti imperio malo, seu prout extrinseco malo, nego majorem: actus imperatus eget gratiâ intrinsicè sumptus, secus ut extrinsecè malus.

Respondeo ad secundum: Concedo, quòd voluntas sine gratia non possit se determinare ad actum supernaturalem determinatione in genere causæ physicæ, ac etiam moralis illuminativæ, seu prælucentis voluntati per illustrationem Sancti Spiritus: potest tamen se determinare determinatione propriâ imperativâ, sita in inclinatione voluntatis ad ponendum actum supernaturalem ex principijs requisitis ad supernaturalitatem; ut enim sic se determinet non debet formaliter, aut virtualiter, vel eminenter continere imperatum per n. 496.

Respondeo ad tertium: Concessâ majori, nego minorem, ad hujus probationem, nego initium justificationis incipere ab imperio malo tanquam à causa physica, aut morali illuminativa, aut meritoria, sed tanquam à determinatione inclinativa voluntatis: quâ positâ velut conditione DEUS antecederet paratus est ad concurrendum supernaturaliter per num. 564. eoque casu DEUS non influit intuitu actus vitiosi imperantis, sed quia ipse de se est paratus concurrere secundum determinationem voluntatis; qualiter defacto concurrat concursu supernaturali in actionem conversivam supernaturalem substantiæ panis, & vini in Corpus Christi determinatus à prava Sacerdotis intentione.


Instabis: est impossibile, ut idem actus sit intrinsicè bonus, & intrinsicè malus, sed talis esset actus bonus imperatus à malo, ergo. Minor probatur: esset intrinsicè bonus, uti supponitur, sed etiam esset intrinsicè malus. Quod probatur: ille actus est intrinsicè malus, qui cooperatur

ratur intentioni intrinsecè malæ, sed actus imperatus ab imperio intrinsecè malo cooperatur intentioni intrinsecè malæ, ut patet in occisione externa, quæ per se est executiva malitiosæ occisionis internæ.

Respondeo: Concessâ majori, nego minorem. Ad probationem, nego secundam partem. Ad hujus probationem distinguo majorem: ille actus est intrinsecè malus, qui cooperatur per se intentioni intrinsecè malæ, concedo ma-

jorem. Qui cooperatur per accidens intentioni intrinsecè malæ, nego minorem. In nostro casu actus imperatus per accidens, & non ex vi sua, nec ex natura sui objecti cooperatur intentioni malæ, quatenus præter suam intentionem ab imperante assumitur in medium ad finem malum, ad quem de se non est ordinatus.

Nulla est paritas ab occisione externa, quia hæc est intrinsecè, & in se mala malitiâ materiali per n. 522.



§. VIII.

An idem actus possit habere plures bonitates, aut plures malitias morales.

568. **Q**uestio satis est molesta. Suarez tom. 4. in 3. p. de Pœnit. D. 22. S. 5. à num. 3. negat plures numero malitias contineri in uno actu, quo quis vult plures occidere homines, aut cum pluribus fornicari, licèt singula objecta possent transfundere malitiam numericam ab alijs malitijs distinctam, dum singula seorsim terminant actum malum, at dum omnia simul concurrunt, nullum per se confert illam, sed omnia simul per modum unius concurrunt ad unam, & eandem numericam. Hæc tamen eò est gravior, quòd plura sunt objecta; propter hanc majorem gravitatem vult explicandum numerum occidendorum, aut mulierum.

Pariformiter discurret de bonitate

morali actûs unius tendentis in plura objecta e. g. vult quis dare Eleemolynam decem pauperibus: actus hic non continet decem numero morales honestates elemosynæ, sed unicam æquivalentem decem. Idem est de actu charitatis indivisibiliter amante decem proximos,

Affirmat Vasq. tom. 4. in tertiam partem de Pœnit. quest. 91. art. 1. dub. 4. à num. 4. nempe pro multiplicatione objectorum numerica multiplicari malitias numericas in actu physicè indivisibiliter tendente in illa per modum unius, quoties circumstantia non supponit actum iam constitutum in genere mali (si enim supponit constitutum, tunc non multiplicat, sed auget actum constitutum, ut parvitas, & magnitudo in furto: intento,

ho, & duratio actus &c.) dummodo sit vera circumstantia, nec ordinetur ad aliam: si enim ordinetur, non facit numericam distinctionem. Sic mulierem invitare ad fornicandum non est peccatum numero distinctum, quia ordinatur ad eundem actum, in quo mulier cum invitante participat.

569. Dico primo, idem numero actus continere plures bonitates morales diversae rationis. Izquierdo de DEO D. 35. num. 164. probatur: potest eligi eleemosyna ut medium ex fine duplici specie diverso e. g. ad obtinendam fidem, & charitatem, sed huiusmodi electio, & huius intentio contineret plures bonitates morales specie diversas; quia tunc per se, ac directe intenditur finis proprius tum fidei, & charitatis: hoc autem ipso electio eleemosynae continet bonitatem moralem fidei, & charitatis per num. 545. & seq. 2.

Confirmatur non solum finis intentus per Eleemosynam movet ad huius electionem, sed etiam ipsa utilitas, quam habet eleemosyna ad finem praesentem: haec enim amatur ut utilis ad finem. Sub qua ratione amari non potest non amato sine; nec potest movere non movente sine; cum sit bonitas formaliter respectiva per n. 499. & seq.

Inferes primò: in posito casu datio eleemosynae potest esse honesta honestate fidei, charitatisque, ut ostensum, ac insuper honestate misericordiae: potest enim electio eleemosynae fieri ex motivo sublevandi miseriam pauperis, & haec mediante intendi duplex praefata virtus. Izquierdo de DEO D. 35. num. 165.

R. P. Karch, Diff.

contra Vasq. 1. 2. D. 51. cap. 3. Marat. de bonitate, & malitia D. 8. S. 4.

Inferes secundò; voluntatem dandi eleemosynam decem posse continere totidem numero bonitates morales numericas, quia quavis datio habet particularem finem proprium numero distinctum à fine alterius, ergo si movent omnes fines numero distincti, singulorum bonitates morales imputantur voluntati.

E contra actus charitatis amans decem proximos propter DEUM continet unicam honestatem moralem: disparitas est ab actu misericordiae; quod motivum charitatis, ut haec est actus honestus, non sit bonitas absoluta decem hominum, sed est ipsa substantia actus charitatis per num. 546, haec autem est unica in actu una.

Aliter discurrendum de actu creatae charitatis amantis decem proximos: huiusmodi actus pro motivo habet bonitatem absolutam personae amatae. Unde si decem sint, & ab ijs moveatur, continet decem honestates materiales nostro concipiendi modo distinctas: prout enim est amor Petri, habet consonantiam cum natura rationali distinctam numericè à consonantia, quam habet, prout idem amor tendit in Paulum &c. Et sic disparitas à charitate DEI: quia ut charitas divina est, habet pro motivo bonitatem absolutam DEI indivisibiliter se habentem respectu omnium, quos propter illam amat.

570. Dico secundò; Idem physicè actus moraliter malus capax est plurimum tum specie, tum numericè malitiarum distinctarum. Pars prima est omnium, quia potest à voluntate poni a-

Iii

ctus

actus physicè unicus habens oppositio-
nem cum pluribus virtutibus, & præ-
ceptis specie diversis, sed talis continet
plures malitias specie diversas. Sic adul-
terium est contra iustitiam, & castitatem;
& si complex sit voto obstrictus, aut
sanguine junctus, continet insuper sa-
cristilegium contra Religionem, aut ince-
stum contra pietatem: furtum rei sacræ
præter specificam malitiam iniustitiæ ha-
bet speciem sacrilegij oppositam Reli-
gioni obliganti ad reverentiam debitam
rei, aut loco sacro.

Probaturs pars secunda ex prima,
seu à paritate actus continentis plures
specificas malitias, dum tendit in plura
specie objecta, ergo etiam potest idem
actus continere plures numericas malitias
in casu, quo proponuntur illi plura nu-
mero distincta objecta materialiter turpia
invicem non subordinata: nec unum est
augmentum alterius, id est, per se non
præsupponit actum in genere mali con-
stitutum, seu objectum unum non est
circumstantia propriè talis respectu al-
terius.

571. Dixi primo: *plura numero non
subordinata.* Nam si unum objectum
malum ordinetur ad aliud malum, non
multiplicatur numerica malitia, sed est uni-
ca: ut invitatio scemina ad copulam est
unicum numero peccatum cum copula.

Dixi secundo: *Nec unum per se
præsupponit actum in genere mali
constitutum.* Si enim præsupponit, non
multiplicat malitiam, sed præsuppositam
auget; ut actus intensio, & duratio par-
vitas, & magnitudo. Hæc enim acci-
dentia sunt circumstantiæ per se suppo-
nentes actum in aliquo gradu mali consti-

tutum, seu habentem malitiam in aliquo
gradu ex intensione, aut duratione ac-
tus, aut ex quantitate objecti: si enim
actus non existit, etiam non existit in-
tensus, aut remissus, magis, aut minus
durans, in majori, aut minori quantita-
te, ergo hoc ipso, quod actus malus
moraliter sit intensior, aut magis durans,
& furtum sit in majori quantitate, suppo-
nitur idem actus in aliquo genere malitiae
esse constitutus, aliquantum durare, ac
in aliqua quantitate. E. g. in tanta præ-
cisè, in quanta sufficit ad mortale fur-
tum; reliquus totus excessus repertus in
furto se habet ut circumstantia quantita-
tis; quia hic excessus sive sit, sive non
sit, substantia furti in aliquo individuo
reperitur; etsi descendendo ad particu-
larem partem materiæ: designandam,
dum magna summa accipitur simul, nul-
la sit in particulari assignabilis potius pro
prima parte furti, quæ pertineat ad sub-
stantiam; quàm pro altera parte excessus,
quæ pertineat ad circumstantiam. Ita Ar-
rubal apud Dicastill. *de Pœnit. D. 9.
num. 202. juncto num. 224.*

Econtra quando objectum unum
per se non supponit actum in esse mali,
sed ipsum per se constituit malum: mul-
tiplex est peccatum numero. Proinde
explicandum in confessione: sic dum ut-
terque adulter est conjugatus, est duplex
explicanda malitia; quia alterutrum ma-
trimonium per se sufficit, ut copulæ insit
malitia adulterij; & per accidens se ha-
bet, quod alterum matrimonium comi-
tetur istud, idcirco neutrum auget mali-
tiam numericam alterius, sed constituit
novam.

Similiter duas numero malitias continet luxuria voto obstricti cum voto obstricta ex eadem ratione: è contra peccans contra duo sua vota castitatis peccat unica numero malitia: habent enim se ut duo præcepta ejusdem speciei, seu lata ex eodem motivo. Ut præceptum missæ die Festo, & die Dominico, dum coincidunt in unam diem. Omissio missæ est unica numero malitia in tali concursu.

572. Pro elucidatione majore partis secundæ conclusionis secundæ adnotanda est doctrina Haunoldi *lib. 2. Theolog. n. 488.* & Dicastill. *de Pœnit. D. 9. n. 221.* quod diversa sit inter objecta natura quoad unitatem, aut multipliciter moralem inter se faciendam; quædam enim ex usu humano capacia sunt augmenti, ut bona fortunæ. Æstimatio enim major, aut minor bonorum fortunæ desumitur ex fine per ea obtinendo: hujusmodi autem majoritas, & minoritas provenit ex augmento, & decremento eorundem bonorum, si horum nova quantitas adjiciatur priori, vel ab hac avellatur. Ob hæc quantitas major in materia furti, hoc non multiplicat numero sed auget eundem numero actum.

Quædam verò ex naturali impulsu ordinantur ad faciendum unum cum altero, velut media ad finem melius con-

sequendum: sic oscula, & tactus impudici ex propensione naturali ordinantur ad copulam facilius impetrandam; & ideo actus præparatorij ad hanc faciunt unicum peccatum.

Eodem modo multiplicatio percussionum, seu verberum ejusdem personæ ordinatur ad augendum dolorem, & damnum corporis ejusdem. Hinc est, quod omnes percussiones physicè faciætes numerum moraliter sint unicus actus. Alia verò objecta sunt, quorum multiplicatio est prorsus per accidens: quia nec natura, nec usus humanus ea ordinat ad unitatem, ut bona famæ, vitæ, corporis plures copulæ sive cum eadem, sive cum pluribus personis.

Hinc etsi quis actu unico intendat detrahere pluribus, aut plures occidere, aut vulnerare, aut cum pluribus fornicari, &c. nunquam tamen potest in hæc & similia objecta tendere per modum unius objecti adæquati, sed in plura, ut plura: quia unum cum altero non coalescit in unum.

Quapropter intentio detrahendi pluribus occidendi plures, fornicandi cum pluribus, tot facit numericas detractiones, aut homicidia, aut fornicationes, quod sunt personæ.



§. IX.

De moralitate intentionis, & electionis invicem
Comparatarum.

573. **D**ico primò quoties finis est malus, toties tam intentio finis, quàm electio medij est mala. De intentione constat ex terminis, de electione probatur: actus ponens existentiam finis mali est moraliter malus, sed electio medij ut utilis ad finem malum est actus ponens existentiam finis mali, ergo electio medij ut utilis ad finem malum est moraliter mala; Unde dans Eleemosynam ex fine malo e.g. vanæ gloriæ peccat etiam datione Eleemosynæ.

Dico secundò, si tam finis, quàm medium est malum: ut si fureris propter fornicationem. Medij electio habet duplicem malitiam; unam propriam, nempe furti, contra justitiam, alteram participatam à fine, videlicet fornicationis contra castitatem: & incendens domum Petri, ut in ea comburat merces Pauli, exercet duplicem injustitiam propter duplicatam damnificationem, quarum una non ordinatur ad alteram, nec auget *per num. 571. & seq.* augetur autem si incenderes domum Petri ex fine comburendi omnes ejus opes. *Platel. p. 2. Curs. Theolog. num. 94.*

574. Dico tertio: quando finis est bonus, medium verò malum e.g. furatur quis, ut det Eleemosynam: si intentio influit

in electionem medij mali, non est sola electio mala, sed etiam intentio. Probatur: omnis causa effectus mali est formaliter mala per ipsam causationem mali, sed intentio, si influit in electionem, est causa effectus mali, nempe electionis furti, ergo. Hinc Apostolus negat esse faciendâ mala, ut eveniant bona: ex quo loco infert Augustinus: mentiri semper esse malum, etsi fiat ob finem bonum.

Dico quartò: ut electio medij ex fine vitij participet hujus turpitudinis, non requiritur, ut finis vitij moveat ad electionem, nec ut malitia medij imputetur electioni, opus est, ut medium moveat. Ratio: quia sufficit malitiam præcognosci, ac medium amari ut objectum materiale amore vel positivo, vel interpretativo: qualiter interpretativè censetur amari, dum est obligatio impediendi ejus existentiam, & non impeditur, *per n. 541.*

Quæres. An, quando electionis medij mali finis est bonus, uti est in casu conclusionis tertiæ, saltem minuatur malitia electionis? Respondeo negativè cum Izquierdo *de DEO D. 35. n. 167.* quia finis bonus non tollit malitiam medij, & hujus electionis, ergo nec minuit cæteris paribus: paribus inquam, quia eligens

eligens medium malum propter finem bonum, communiter minus voluntaria fertur in tale medium, quam feratur id eligens ex alio motivo, sed hoc ipso minus peccat, hoc autem se per accidens habet



§. X.

An actus externus augeat moralitatem & satisfactionem actus interni?

575. Sensus est: an actus externus bonus, aut malus conducatur ad intensiorem bonitatem, aut malitiam: sive ad meritum & demeritum actus interni; & dum opus externum est bonum per se augeat satisfactionem, id est, vim delendi poenam:

Dico primò: actus externus bonus per se non intendit interni moralem bonitatem, ac meritum interni, nec malus malitiam, & demeritum. Ita communior Theologorum cum Izquierdo de DEO D. 35. n. 191. Haunold. lib. 2. Theolog. num. 380. contra Pallavicinum, plerosque scotistas: quos tamen deserit Herinx hic D. 3. n. 36. Probat ex Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Id ipsum sensit S. August. de libero Arbitr. c. 3. pronuntians talem non minus reum esse, quam si opus exequeretur.

Probat secundò ratione: tunc externus per se nihil addit interno, quando ante existentiam externi, tota hujus bonitas, & malitia imputatur interno,

sed sic est, nam accessu actus externi nulla ponitur nova libertas, consequenter nec nova imputatio, sed ubi non est nova imputatio, nequit esse nova bonitas, aut malitia.

Dixi: *per se*, quia per accidens saepe, imò plerumque accrescit nova bonitas aut malitia, non ex actu externo, sed aliunde occasione actus externi. Primo, quia accessu actus externi solet internus durare diutius, aut intendi vehementius (ipsa enim degustatio externi actus causat vehementiorem inclinationem ad idem objectum magis amandum) aut novus internus repeti. His omnibus modis per accidens augetur bonitas vel malitia interni, proinde meritum, & demeritum.

Objicies primò: ergo voluntas efficacax Eleemosynæ est tantum meriti, quanta foret data Eleemosyna, ergo si quis efficaciter vellet dare infinitam, faceret meritum infinitum. Secundò, sequeretur, quod Martyr plus non mereretur, quam paratus Martyrium subire. Tertio sequeretur, quod desiderium, & pro-

positum faciendi tot bona opera quod fecit Beatissima Virgo, esset tanti valoris, quanti fuerant opera Beatissimæ Virginis. Quartò non modo actus internus malus, sed etiam externus prohibetur, & quidem præcepto distincto, ut patet in præcepto sexto, & nono, septimo & decimo Decalogi.

Respondeo ad primum: concessa consequentiâ primâ nego secundum; bonitas enim & vis merendi non desumitur præcisè ex objecto; alioquin actus offerens DEO merita Christi esset simpliciter infinitus, sed etiam ex perfectione cognitionis distinctè representantis bonitatem objecti: ex libertate, conatu, & efficacia actûs, quæ, cum in actu finito interno volente dare elemosynam infinitum, non sint infinita, fit, ut etiam tale propositum non sit infinitum.

Respondeo ad secundum: sequelam esse veram per se loquendo. Nempe Martyrem ex opere operantis non plus mereri, quàm efficax propositi Martyrij, secus per accidens.

Unde voluntas efficax suscipiendi Sacramentum per se est paræ efficaciæ ex opere operantis, ac susceptio: at non ex opere operato, quod pro nobis est operatus Christus. Ex hoc enim tam Sacramenta suscepta, quam Martyrium longe plus merentur: quod privilegium in Martyre non operatur effectum, nisi morte consumatur, quæ mors patienti non est formali er libera, proinde nec formaliter meritoria, sed ejus acceptatio. Laureola correspondens Martyrio est potius donum liberale, quàm ratio præmij: ut constat in infantibus Martyrio affectis. Ita Haunold. *num. 384.*

Respondeo ad tertium, negando sequelam; quia nullius alterius voluntas potest esse in pari intensione, conatu & efficacia, cum Beatissima Virgine volendo tot, ac tanta opera Caspensis *Tract. de Bonit. & malit. D. 3. nu. 131.*

Respondeo ad quartum: actum externum prohiberi distincto præcepto non propter augmentum malitiæ, sed quia habet distinctam malitiam, & ideo libere factus est proprie peccatum, ad hinc non sequitur intendi malitiam internam, sed quod non sufficiat confiteri internum sine externo, quando hic secutus est.

576. Dico, secundò: opus externum bonum per se auget in opere bono satisfactionem, seu vim delendi poenam. Cit. Haunold. *num. 390.* Rhodes, Soarez, Lugo &c. contra plures negantes cum Dicastill. *de Pœnit. D. 13. num. 87.* apud Heriæx *num. 40.* probatur: satisfactio principaliter respicit poenitentiam, ergo substituitur satisfationi, id est, ponitur loco poenæ infligendæ a potente vindicare culpam, sed hoc ipso opus externum auget satisfactionem, ergo opus externum auget satisfactionem. Minor probatur: ponens opus externum sponte se affligit, sed sponte se affligens auget Satisfactionem; minuit enim poenam jure infligendam ab offenso, quia reddit se dignum, ut tanto minus patitur invitus a judice offenso, quando plus ultroneè passus est, cum sic obineatur finis totalis Satisfactionis. Nam finis hujus est arcere à peccato. Hoc totum habetur, si offendens sponte se affligat per actum externum; hic enim est molestior actu interno,

Hinc

Hinc est disparitas, cur actus extensus non augeat vim merendi; finis namque præmij est incitatio ad virtutem, qui finis obtinetur positione solius actus interni de se efficacis,



§. XI.

An detur actus moralis indifferens ad moralem bonitatem, & malitiam, sive ad merendum & demerendum?

577. **D**upliciter potest actus moralis, seu liber esse indifferens ad honestatem, & inhonestatem. Primò secundum speciem. Secundo in individuo. Indifferens secundum speciem hoc loco dicitur actus, qui præcisè ex objecto, à quo specificatur, sive qui ex ratione sua specifica, seu tendentia in objectum suum ut præcisum à circumstantijs, nec sit moraliter bonus, nec moraliter malus: ejusmodi actus sunt ambulatio, locutio, cogitatio &c. ut sic præcisè spectata.

Verùm quia nullum individuum est realiter ponibile sine omnibus circumstantijs ad actum in individuo requisitis antecedentibus, comitantibus & consequentibus (ab his enim plenè singularizatur, seu ultimo determinatur in sui exercitio ad bonitatem, aut malitiam saltem materiale in individuo) quæstio est: an aliquis actus moralis non modo spectato ejus directo objecto, ac principali, sed sumptus cum omnibus circumstantijs propositis voluntati, sit moraliter nec bonus, nec malus? si talis detur,

hic est in individuo indifferens, secus si non datur.

Conveniunt Doctores: quod per accidens detur actus indifferens tam secundum speciem, quam in individuo contra Pallavic. & Esparza. Nempe defectu advertentiæ ad malitiam, & bonitatem materiale objecti, & circumstantiarum; aut posito errore invincibili, quod actus sit indifferens tam quo ad objectum, quam quo ad finem, & circumstantias.

Quæstio igitur est: an per se loquendo datur actus tam quoad speciem, quam quoad individuum indifferens indifferentiæ potissimum materiali, seu re ipsa illi conveniente, qui cum veritate seu secluso errore propositus nec honestus, nec turpis appareat, nec sit præceptus à DEO, nec prohibitus, nec consultus, sed permissus ac eatenus licitus?

Prima opinio Pallavicini apud Haunold *lib. 2. Theolog. num. 367.* negat actum tam quoad speciem, quam in individuo indifferentem. Comunion Tho-

mi-

mistarum concedit quoad speciem, secus quoad individuum, apud Vasq. 1. 2. D. 52. cap. 1. quorum opinio iudice Vasq. cap. 2. est satis probabilis: ipse verò ibi, & sequentibus cum Scotistis defendit actuum indifferentiam secundum speciem, ac in individuo.

578. Dico primò: dari actus tam internos, quàm externos humanos secundum speciem indifferentes. Probat ex S. Hieronimo in Epist. ad August. expresse docente: *quod ambulare, nares emungere, sputa ejicere nec barium nec malum sit.*

Ratio est: quod quædam objecta secundum se spectata seclusis circumstantiis nec sint à DEO prohibita, nec præcepta: ut ambulare, barbam fricare, se calefacere &c. nulla enim in his relucet materialis honestas, aut turpitudine, seu nec placent, nec displicent voluntati.

Dico secundo per se loquendo dari non posse actum in individuo indifferentem indifferentia morali materiali, proinde omnis actus liber in individuo est moraliter bonus, aut moraliter malus seu formaliter imputabilis ad laudem, aut vituperium. Nisi, uti ex Doctorum consensu præmissi, interveniat defectus advertentiæ, aut error invincibilis, probatur: omnis actus voluntatis fertur, vel in media, vel in finem: si in finem, hic aut est honestus, aut inhonestus: aut jucundus sive delectabilis. Si est honestus, jam intentio ejus est moraliter bona: si inhonestus, est moraliter mala: si delectabilis, delectabilitas, vel intenditur ut finis ultimus, vel ut finis non ultimus, vel ut finis non ultimus, sed subordinatus: si intenditur ut finis ultimus, eo

ipso intentio est turpis, cum recta ratio improbet delectationem statuere pro fine principali, hoc enim est contra ordinem à natura intentum. Natura enim ordinem intendit in eo situm, quod aliqua ordinet ad finem, seu semper assumat ut media; tale bonum est bonum delectabile, quale quod natura nunquam intendat ut finem, sed ut medium, colligitur ex propositione 8. & 9. Innoc. XI. prior ita sonat: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum &c.* posterior est ita: *opus conjugij ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Ex his propositionibus est manifestum, quod voluptas ut finis præfixa comestioni, & copulæ sit finis inhonestus. At si quis comedat cum voluptate, aut copulam conjugalem exerceat ordinando ejusmodi voluptatem in primo casu ad vitæ conservationem, in secundo ad proles generationem careat omni culpa.

Si autem delectabilitas amatur ut finis subordinatus, tunc amatur ut medium electum ex intentione ulterioris finis hic, vel est bonum honestum, aut inhonestum, aut delectabile. Si primum: est actus honestus, si secundum, est inhonestus: si tertium, redit argumentum proximè factum, ostendens pariter esse actum inhonestum.

Si actus fertur in media: tunc hæc vel sunt honesta, vel inhonesta, vel delectabilia: ubi rursus argumentum factum de fine reponitur.

579. Objicies primò: repugnat species, in qua non sit possibile ullum individuum, sed possibile est actus secundum-

cundum speciem indifferens ad bonum, & malum moraliter, ergo etiam est potibilis quoad individuum.

Respondeo: eo sensu, quo datur actus indifferens secundum speciem, videlicet præcisè, id est, relate ad objectum præcisum à circumstantijs, etiam datur indifferens in individuo; secùs realiter, & positivè consideratus secundum omnes circumstantias illum individuantes. Datur igitur actus in individuo indifferens indifferentia præcisiva secùs indifferentiâ positivâ, & omnibus pensatis, inter quæ præcipuè est finis.

Objicies secundò: si cunctis actibus est præfigendus finis honestus: datur præceptum hujus obligationis, sed non datur primò: quia moraliter est observatum impossibile; secundò: quia homo elevatus ad finem supernaturalem obligaretur operari ex motivo supernaturali Charitatis: est enim in statu supernaturali, & amicus DEI, ergo obligatur operari ex motivo amicitia: sicut, quia est rationalis ac discernit honestum ab inhonesto, obligatur operari ex motivo honesto.

Respond. concessâ majori nego minorem; præceptum hoc fundatur in ipsâ natura rationali, huic enim necessario dissonat, quidquid invertit ordinem à natura intentum; operans autem ex fine non honesto invertit hunc ordinem per num. 578. Ad probationem primam nego assumptum: dum quis operatur moraliter, id est, deliberatè, quia

operans deliberate semper considerat, an sit licita, aut illicita actio? si est licita, & operatur ideo, quia est licita, id est, non vetita, sed permissa: jam est operatio honesta, in quo operandi modo nulla est moralis impossibilitas.

Hinc ad secundam probationem: nego esse obligationem semper operandi ex motivo supernaturali, aut ex motivo charitatis, quia tam lex supernaturalis, quàm amicitia erga DEUM permittit, ut operemur pure ex hoc motivo quia actio est licita.

Quæres: an opinio stans pro indifferentia morali actuum in individuo sit damnata in relatis num. 578. propositionibus 8. & 9. Affirmat Filguera apud Cardenas Dissert. 8. num. 15.

Respondeo negativè cum eodem num. 17. & Dominico Viva, ad easdem propositiones num. 13. quia hæc propositio: *licitus est actus in individuo indifferens*, quod non sit damnata formaliter est certum, utpote non idem significans: etiam non est damnata virtualiter: quia non est antecedens, ex quo legitime inferatur damnata, consequentia enim ista est nulla: dantur aliqui actus in individuo indifferentes; vel licitus est actus in individuo indifferens, ergo licitum est comedere aut uxori copulari ob solam voluptatem; est enim argumentum à particulari ad singulare, quod non valet.





ARTICULUS III.

Quæ sint causæ objectivæ actus moralis ?

§ 80. **T**Am in actu morali bono, quam in malo sunt quædam prædicata substantialia, quædam accidentalia. Substantialia conveniunt actui spectato præcisè secundum suum principale objectum: posteriora verò conveniunt eidem, & accidunt ut jam constituto quoad esse substantiale tam in genere physico, seu naturæ, quam in genere moris. Hæc Rhetores vocant attributa. Philosophus appellat singula, seu singularia, uti constat ex definitione voluntarij per *num. 3.* non quod in ijs actûs voluntarij formalis ratio individui consistat, sed quod antecedenter, aut concomitanter, aut consequenter se habeant ad exercitium actûs voluntarij: exercitiûm enim non est, nisi circa singularia.

Ejusmodi prædicata accidentalia actibus liberis Theologi circumstantias dicunt: nam ex S. Th. 1. 2. *quæst. 7. art. 1.* nomen circumstantiæ ab ijs, quæ circumstant res in loco existentes est translatum ad significandû ea, quæ aliquomodo circumstant actiones humanas; sicut ergo non quavis extrinseca rei locatæ dicuntur proprie hujus circumstantiæ, sed

quæ illam localiter attingunt, aut saltem sunt illi localiter propinqua: ita eaduntaxat accidentia extrinseca actibus humanis sunt horum circumstantiæ, quæ ita accidunt actibus humanis physice consideratis, ut eosdem constituunt moraliter bonos, aut malos conformes, aut diffformes naturæ rationali, & rectæ rationi, aut minus bonos, malôsve. *Soarez hic tract. 3. D. 5. S. 3. num. 2.* Conditiones verò impertinenter se habentes ad bonitatem, aut ad malitiam actûs, non sunt circumstantiæ morales; sic quod res accepta sit aliena invito domino, magna, aut parva: sunt morales circumstantiæ actionis furtivæ constituentes illam in esse moris.

E contra quod sit accepta tali tempore, Cælo sereno, aut pluvio, hæc accidentia utpote impertinentia non sunt circumstantiæ morales.

Certum est, quod bonitas, & malitia actûs humani tam ab objecto, quam à circumstantijs desumatur; & ideo deinceps videndum, an & quomodo tam objectum, quam circumstantiæ derivent eam in actiones nostras?



§. I.

Qualiter ab objecto causetur bonitas, aut malitia moralis?

581. **A**ctus humani interni obiecta quaedam sunt res externae à nobis independentes: sic DEUS objicitur actibus Theologicarum virtutum, & vitiorum oppositorum. Ab ejusmodi obiectis utpote nec in se honestis, nec inhonestis per *num.* 524. Non potest derivari bonitas, aut malitia: sunt tamen conditio obiectiva necessaria, ad hoc, ut in actibus moralibus ad ea terminatis resultet bonitas, aut malitia; seu quod perinde est, affectus morales (qui respectu similiorum obiectorum sunt simplices, & inefficaces) habent propriam malitiam, aut bonitatem per *num.* 522. ad eam tamen necessariò praequiritur obiectum tale ut conditio obiectiva necessaria.

Quaedam verò obiecta actuum internorum sunt actiones à nobis dependentes: sic omnes actus externi imperati à voluntate sunt obiectum actus interni imperantis e. g. voluntatis furandi obiectum est furtum, seu actio externa furtiva voluntatis: amandi DEUM est amor DEI. Nomine actus externi intelliguntur omnes actus, quos eliciunt potentia à voluntate distincta.

Hinc quoties actus externus est praeceptus, aut prohibitus, toties est

moraliter bonus, aut moraliter malus actus etiam internus, externus enim est obiectum interni: sic voluntas furandi est moraliter mala: quia ejus obiectum non est res aliena, quam furans accipit, sed usurpatio rei alienae. Haec enim est obiectum prohibitionis, non res externa, siquidem nihil potest prohiberi, aut praecipari nisi actus elicitus, aut imperatus.

Qualis ex parte intellectus sit necessaria cognitio, & qualis consensus ex parte voluntatis ut bonitas, vel malitia imputetur? fusè differui à *num.* 528. de cognitione usque ad 537. de consensu verò à *num.* 537. ad 541.

Ut honestas imputetur actui elicitò, aut imperanti interno, non sufficit voluntarium, seu consensus indirectus, sed debet esse directè volita operatio imperata per *num.* 545. & 543. probatur ex Philosopho 2. *Eth.* 4. ad rectè agendum poscente, *ut quis agat sciens, & eligens.* ubi *ly eligens* amorem denotat; aliàs sufficeret voluntarium indirectum, aliquis jejunando esset temperans, castus &c. modo praevideat, quod abstinentia à duplici refectione refranet appetitum concupiscentiae &c. quod est contra pleurosque.

§ 82. Præter voluntarium directum ad honestatem actûs necessarium est motivum. Hoc secundum communioem est ipsa honestas materialis per *num.* 544. at secundum mea principia objectum formale cujusvis virtutis est proprius finis hujus indistinctus à bonitate absolutâ virtutis per *num.* 545. Porro finis virtutum est triplicis generis per *nu.* 546. estque cujusvis virtutis propriû ponere ali quod bonum ut finem suum.

Denum, ut actus sit honestus prærequiritur, ut nulla circumstantia mala vitiet actum; unde *num.* 547. dixi *versu claudo hunc &c.* finem proprium virtutis partialiter constitui per carentiam finis oppositi.

È contra ad malitiam actûs sufficere voluntarium, seu consensum indirectum ex Theologorum consensu. Constat *ex num.* 541. nec malum ut tale directè po-

test intendi: *nemo* inquit D. Dionysius *Intendens malum operatur*, quapropter secundum omnes occidens in loco Sacro, peccans cum consanguinea præter homicidium, & fornicationem in primo casu Sacrilgium, in secundo incestum contrahit; etsi nec irreverentiam loci Sacri nec commixtionem cognati Sanguinis positive intendat: sed sufficit, quod præcognoscat ejusmodi circumstantias attingere objectum; quale objectum in primo casu est occisio externa, in secundo ipsa copula.

Nec ad malitiam imputandam contra quamcunque virtutem necesse est moveri à malitia actûs mali, aut à fine vitij oppositi, ad quod spectat actus malus, sed ex quocunque motivo ponatur actus, omnis hujus prævisa malitia imputatur ad peccatum per *num.* 541.



§. II.

De bonitate, & malitia morali ex circumstantijs in Communi.

§ 83. **Q**uæres primo: quid, & quoruplex sit circumstantia?

Respondeo ad primum: circumstantia Theologicè sumpta est accidens morale superveniens actio morali superveniens actui morali spectato secundum suum esse proprium specificum, sive substantiale, & primarium: descriptio hæc colligitur ex *num.* 580.

Resp. ad secundum: circumstantias esse multiplices. Primo, aliæ se tenent ex parte actûs, aut potentiæ: ut duratio actûs, modus, quò fit, ut major, aut minor libertas, intensio, vel remissio, facilitas, vel difficultas, resistentia potentiæ, vel inclinatio passionis, vel habitus ex frequentatis actibus acquisitus, major vel minor scientia, personæ dignitas e. g. gratia habitus-

ualis. Secundo alia se tenent ex parte objecti: ut conditio, seu status & qualitas personæ, major minore quantitas in Eleemosyna, & furto major, minore indigentia subiecti, circumstantia loci, temporis.

Inter priores, & has posteriores est hæc differentia: quod priores se tenentes ex parte actus semper bonitatem, aut malitiam actus augeant, vel minuunt; posteriores verò non semper augent bonitatem, vel malitiam, sed aliquando, & aliquando non: augent bonitatem, quando spectant ad idem objectum virtutis, ut major quantitas in Eleemosyna; malitiam vero, dum spectant ad idem vitium ut major quantitas in furto. Pleraque hæc circumstantiæ sunt generales, id est, communes peccatis omnibus. Tunc verò non augent intra eandem speciem, sed extendunt actum bonum, aut malum ad speciẽ alterius virtutis aut vitij, quando spectant ad virtutem diversam, ut vitium specie distinctum. Sic datio Eleemosynæ facta personæ sacræ, aut loco sacro non auget honestatem actus misericordiæ, sed transfert, ac superaddit novam speciem alterius virtutis, nempe Religionis; hujus enim sunt propria circumstantiæ sacreitas loci, aut personæ. Ut autem sic transferam circumstantia hæc debet esse motivum dationis, quo casu hæc circumstantia non est circumstantia novæ hujus speciei, sed objectum substantiale; est tamen circumstantia respectu actus misericordiæ, de cujus objecto formali est sublevatio miseræ egentis. Similiter circumstantia loci sacri, aut rei sacræ, ex quo aut quam quis furatur non auget furtum, sed malitiam ejus, quæ est contra justitiam. Transfert ad

vitium sacrilegij oppositum Religioni, Vasq. 1. 2. D. 30. n. 24.

Tertiò circumstantiæ sunt quædam aggravantes eandem speciem per n. 571. quædam verò mutantes speciem juxta Trid. Sess. 14. c. 5. & can. 7.

Quartò sunt aliquæ, quæ per accidens annectuntur operationi, aut per accidens ad eandem sequuntur. A similibus, nisi directè intenduntur, nulla malitia contrahitur, aliàs Christo prædicanti imputatæ fuissent blasphemix, & peccata Judæorum comitantia, vel consequentia: poscenti mutuum ab usurario non mutuaturo sine usura imputaretur usura, & sic plurima alia.

584. Quæres secundo: an circumstantiæ omnes actus humani, quæ tribuunt bonitatem, aut malitiam, debeant præcognosci, ac esse volitæ?

Respondeo negativè de tenentibus se ex parte actus interni Vasq. D. 57. n. 7. contra Amic. hic D. 14. num. 120. Unde nec debent esse volitæ, nisi exercitè; quatenus quævis volitio in actu exercito vult se ipsam per num. 6. Ratio: quia ipse actus interior non debet esse reflexè cognitus, ergo nec circumstantiæ tenentes se ex parte actus interioris saltem illæ, quæ ipsum attingunt, immediatè, & intrinsecè, ut circumstantia modi, major, vel minor intensio, libertas, dignitas personæ operantis, sæpe quis operatur actum dignum vitæ æternæ, esto ignoret se esse in gratia.

Econtra Respondeo affirmativè de tenentibus se ex parte objecti, seu actus externi, aut rei, aut personæ (circa quam versatur actus) ex recepta sententia Theologorum: quia actus externus quoad cir-

cumstantiam ignoratam non est voluntarius sic fornicans cum femina conjugata ignarus conjugij non est adulter, sed simpliciter fornicarius.

Dices: ergo concupiscens feminam ut sic praescindendo ab omni ejus qualitate coelibatus, & conjugij peccat peccato solius simplicis fornicationis. Illatum negat Sanch. *lib. 1. Mor. c. 8. num. 5.* quia, inquit, quantum est ex parte sui desiderij, fertur in feminam cujuscumque status sit, ergo exponit se periculo peccati ex circumstantijs feminæ desumendi; proinde peccato ejusdem speciei, cujus periculo se exponit, peccat, idem *num. 4.*

Respondeo probabilius affirmari à Tamb. *lib. 1. Decal. c. 1. §. 4. à nu. 14.* Ratio quod desiderium nequeat imbibere malitiam aliam præter existentem in mente, sed in casu illationis in mente existit sola malitia fornicationis, etsi non præcognoscat esse solutam, Sporer *p. 1. tr. 1. Proemiali c. 3. num. 20. in fin.*

Respondeo ad secundam quaesiti partem: circumstantiæ tenentes se ex parte objecti non possunt tribuere actu bono bonitatem, hanc augere, aut speciem ejus mutare, nisi directè volita: circumstantiæ autem augentes, aut mutant malitiam communiter sufficit esse indirectè voluntarias, sive volitas contra varias sententias apud Amic. *hic to. 3. D. 14. à num. 174.* Pars prima probata est generatim à *num. 543.* Secunda verò à *n. 541.*

585. Dixi *communiter*: nam Vasquez *D. 73. num. 32. & D. 101. c. 6.* excipit ab hac secunda parte peccata, quorum malitia in actu interiore prima-

rio consumatur, atque ex ipso in exteriorem derivatur, de quibus revide *num. 442.* & negat in his repetiri propriam, & specialem malitiam à circumstantia, nisi hæc sit expressè, & directè volita, & intenta, ut in odio, invidia, inobedientia, scandalo, & ingratitude, &c. quia, cum horum specifica malitia ex affectu interno descendat in externum, consequens est pro specifica diversitate affectus interni variari specificam diversitatem malitiæ in ejusmodi peccatis; atqui affectus internus indirectè, seu interpretativè voluntarius specie differt ab affectu directè voluntario: nam voluntarium indirectum sufficit quidem ad generalem malitiam odij, inobedientiæ, ingritudinis, &c. (hujusmodi circumstantiæ dicuntur generales, quia sunt communes omni peccato: quales nunquam addunt novam specie malitiam, nisi circumstantia, à qua dependent, sit expressè volita) ut verò specifica malitia peccatorum internè consumatorum resultet, seu ut sint peccata specialia, necessarium est voluntarium directum ob ea, quæ protuli ex Vasq. *n. 442.*

Hanc opinionem existimat veram Amicus, eamque probat, ac ulterius declarat à *num. 188.* malitia enim non desumitur ex solo objecto, sed etiam ex modo tendendi in objectum: hic autem modus est specie diversus in voluntario indirecto, ac directo ut per se patet. Ergo. Major probatur: directum voluntarium in præfatis paulo ante peccatis inducit malitiam essentialiter diversam ab ea, quam inducit voluntarium indirectum, seu interpretativum; nam non hoc, sed illud inducit formalem displicentiam

centiam personæ in odio, scandalo, aut formalem contemptum præcepti, aut beneficij, ut in peccato inobedienciæ, & ingratiitudinis.

In reliquis autem peccatis exterius consummatis tota malitia desumitur ex objecto, ac circumstantijs, secus ex modo in eas tendendi: etsi varietur modus tendendi ex indirecto in directum, & ideo non variatur essentialiter malitia. Exemplificat: sic furti malitia cum consumetur per rei alienæ acceptionem, manet eadem sive intendatur directè sive indirectè. Econtrà malitia furti commissi in odium proximi est specie diversa: quia modus iste tendendi superaddit displicentiã personæ, quâ caret prior actus.

Item fractio jejuniij præcepti manet eadem sive directè sive interpretativè velit gulæ intemperantiam. Econtrà specie diversa erit malitia, si quis frangat ex contemptu præcepti: sic enim superadditur contemptus superioris formalis, qui est diversus specie à virtuali contemptu superioris, qualem continet prior violatio. Ratio quod contemptus personæ in hanc tendit per modum injuriantis, injuria autem maximè diversificatur ex modo tendendi, & irrogandi illam, ut patet in rapina, & contumelia specie diversis à furto, & detractione S.Th. 2.2. q. 66. Art. 4. & q. 72. Art. 1. quorum diversitas oritur ex solo modo diverso irrogandi.

Confirmatur efficaciter: quòd etiam in materia levi peccans per contemptum formalem seu expressum secundum omnes sit reus mortalis peccati, non ex objecto utpote materia levi, ergo ex

modo tendendi in illud; igitur verum est, quod ex diverso tantum voluntario in peccatis internis specie diversa oriatur malitia.

586. Quæres tertio: an actus interni tam inefficaces, quàm efficaces desumant suam bonitatem, aut malitiam à circumstantijs directè, aut indirectè volitis?

Respondeo affirmativè: utrosque desumere à directè volitis. Ita omnes apud Sporer p. 1. Theolog. Mor. tr. 1. c. 3. num. 20.

Respondeo secundò: efficaces attrahere malitiam etiam ex circumstantijs indirectè volitis per dicta à num. 541. Ratio: quia tendunt in objectum cum omnibus circumstantijs acceptum.

Quapropter desiderium efficax mali pro diversitate malorum specie diversorum est specie diversum: debètque exponi in confessione species mali: an fuerit infamia, an mors, an jactura rei familiaris, an copula cum soluta, aut conjugata, &c.

Respondeo tertio: plures affectus inefficaces, nec bonitatem, nec malitiam desumere à circumstantijs non volitis directè Tanner. 10. 2. D. 2. q. 5. dub. 7. ex communi apud Sporer. Quia affectus inefficax communiter fertur in objectum, quasi non esset circumstantiatum, etsi enim cognoscuntur circumstantiæ e. g. quod femina sit conjugata, vel sacra, vel consanguinea, eas tamen non respicit affectus simplex, seu inefficax, e. g. morosa delectationis, sed habet pro objecto præcisè formiæ pulchritudinem, aut copulæ delectabilitatem, hæc enim allicit ad complacentiam morosam

rosam; secus circumstantia conjugij, aut sacreitatis, aut consanguinitatis, hæc enim non oblectat.

Unde juxta hanc probabilem sententiam contra alios probabiliter dissentientes se accusans morosa delectationis, seu simplicis complacentiæ in re venerea non obligatur explicare statum personæ, circa quam est morosa delectatio: at bene suum statum, nempe an sit conjugatus, aut voto obstrictus. Votum enim castitatis perfectæ excludit omnem profusus affectum liberum contra castitatem, uti etiam matrimonium morosam oblectationem erga non suam arceat conjuges sub mortali, additque speciem adulterij juxta Vasq. 1. 2. D. 112. c. 2. num. 10. quia, inquit, fides matrimonij obligat non solum corpus, sed etiam mentem in aliud objectum turpe non collocare. Cui contradicit Hurt. apud Tamb. *Lib. 2. Method. Confess. c. 7. §. 1. num. 4.* quod assertio Vasq. nulla fundamento probetur, sitque difficile in matrimonio præstari fidem conjugi non collocandi mentem in aliena. Huic opinioni ut probabili subscribit Tamb.

§ 87. Dixi in responsio tertio: *plures affectus inefficaces* non desumere moralitatem à circumstantijs, seu ab objecto ut circumstantiatis; quia aliqui affectus inefficaces sunt de objecto malo, ut est in se, ut dum quis desiderat malum proximo, non à se, sed ab alio inferendum, id est, desiderans sistit in mero desiderio, quin velit suâ voluntate nocere, sed ex odio cupit, ut proximus infametur, vel occidatur ab alio; sed alius infamans, aut occidens fertur in malum

ut est in se, & circumstantiatum, ac specie diversum, ergo etiam inefficaciter desiderans fertur in malum in se, & sumptum cum circumstantijs, proinde sicut qui efficaciter desiderat, peccat peccato specie diverso pro diversitate malorum specifica in confessione exponendorum, ita desiderans inefficaciter.

Item gaudium de malo proximi, cum habeat pro objecto malum præteritum, seu illatum, & qua tale sit peccatum cum suis circumstantijs, gaudium videtur ferri etiam in circumstantias, atque adeo si mala sint specie diversa, hæc sunt detegenda confessario, e.g. an gaudium fuerit de morte, aut de infamia, &c. proximi: hujusmodi enim gaudia specie morali differunt.

Ex hoc ulterius sequitur quod gaudens de copula præterita debeat explicare statum personæ, cui fuit copulatus, non minus quam in desiderio efficaci: unde sicut iste debet exprimere conditionem personæ desideratæ e.g. semel desideravi nuptam, ita in gaudio de copula cum nupta dicere: semel gavissus sum de copula commissa cum conjugata, cit. Tamb. *num. 1.* gaudium enim de copula cum conjugata est non solum contra castitatem, sed etiam contra justitiam: contra quam non est gaudium de copula cum solutâ.

Respondeo primò *ad q. 3.* desiderium inefficax absolutum non differre specie à desiderio efficaci, proinde qualitas mali est explicanda ob rationem datam. Ita Soarez *de Charit. D. 6. S. 2.* contra Dicastill. *de Pœnit. D. 9. num. 498.* Lug. *de Pœnit. D. 16. num. 269.* Moya

tr. 3. de Sacram. Pœnit. D. 3. q. 3. c. 9. Tamb. c. 6. §. 3. num. 9. quorum sententia est in praxi tuta, quia omnia mala, etsi physicè sint specie diversa, desiderantur sub una ratione formali, sub qua comprehenduntur; nempe sub ratione mali, ergo inefficax desiderium non fertur in circumstantias, & specificam malorum differentiam. Unde Cardenas *Crisis Theolog. D. 41. num. 59.* desiderium inefficax parificat delectationi morosæ. Juxta hanc sententiam species mali desiderati non est explicanda in confessione.

588. Respondeo secundò: gaudium de rebus præteritis malis pro horum diversitate est specie diversum; quia fertur in objectum sub omnibus circumstantijs, tendit enim in actum præteritum factum prout factum est, cum sit hujus approbatio. Tamb. *lib. 10. Decal. c. 3. num. 8.* contra Emanuel. Sa *Verb. Confessio num. 16.* cujus hæc propositio: *Qui delectatus est de peccatis præteritis aliis confessis, id solum oporteat, confiteatur, non autem exprimere, quæ illa fuerint peccata* in Edit. Romana fuit deleta: Rationem dat Tamb. quod delectatio tendens in peccata diversa, quamvis confessâ, non tendat in unam rationem communem, sed in ipsas malitias e. g. homicidij, furti, fornicationis, &c. has enim approbat, quæ cum sint oppositæ diversis virtutibus, ideo fatendæ sunt circumstantiæ delectationis. Sanch. *lib. 1. Decal. c. 2. n. 8. juncto 10.* Porro Tambur. & Sanch. loquuntur de delectatione super præteritis, quam videntur distinguere à gaudio, nam de
R. P. Karch, Diss.

isto Tamb. aliter discurrit, ut mox patebit.

Econtra morosa delectatio de copula cum conjugata consanguinea, moralis non est specie diversa ob circumstantias specie diversas: hæ enim non opponuntur virtuti castitatis, sed conjugium justitiæ, consanguinitas pietati, sacreitas personæ Religioni, delectatio autem morosa opponitur soli castitati (nisi feratur expressè in præfatas circumstantias, puta: oblectando se in copula cum conjugata ut tali) nam formale ejus motivum est carnalis delectabilitas, quæ est ejusdem rationis in præfatis copulis, ergo est eadem etiam species morosæ delectationis: circumstantiæ autem præfate non oblectant, Valq. 1. 2. *D. 112. num. 7. & seqq.*

589. Nihilominus Tamb. cit. *lib. 2. Confess. c. 6. §. 3. num. 10.* probabiliter sustinet idem esse sentiendum de gaudio super malis præteritis, quod de desiderio inefficaci docuit *num. 9.* à me relatus *num. 587. vers. Respondeo primo* unde sicut istud non evadit diversum à malo desiderato specie diverso: proinde sufficit, si desiderans se accuset sic: *Se toties de gravi proximi malo delectatum*, sine obligatione exprimendi malum, de quo gavisus est. Juxta quam doctrinam fatendum est, quod, sicut desiderium inefficax habet pro objecto malum sub ratione communi omnibus, ita gaudium, proinde uterque iste affectus inefficax opponatur soli charitati, Wiesmann in *Brevissimo compendio doctrine moralis. Tit. contra charitatem DEI & proximi. Folio mihi 69.* citans Laym. & cum invidia sit etiam affe-

affectus inefficax, invidus non debet exprimere bonum, quod invidet.

Quærit opportunè cit: Tamb. utrum delectans se de gravi malo proximi e.g. infamia, contumelia, furto etsi eadem displiceat bonum oppositum, fama, honor, bona fortunæ, duo specie peccata committat? & recte respondet negativè: quia unum inibitur in altero; gaudens enim de malo: virtualiter habet displicentiam de bono opposito, consequenter gaudium tale, & displicentia contrariantur eidem virtuti charitatis: & ideo bona est confessio hæc: *bis per malam voluntatem circa bona, vel mala ejusdem proximi charitatem læsi*, nempe graviter, siquidem Author loquitur de malo gravi.

590. Quæres quarto: an omnes circumstantiæ, quæ actum externum reddunt bonum, aut malum, transeant in objectum actûs interni, atque adeo respectu hujus non sunt circumstantiæ? Communis affirmat apud Izquierdo *de DEO D. 35. n. 172.* ipse distinguit negans de circumstantijs reddentibus malum actum externum, & hunc in ratione finis alicujus vitij constituentibus, quia, ut sæpe insinuat, & assertum à num. 541. ad contrahendam turpitudinem actûs necesse non est, ut moveat sive finis vitij, sive turpitudinis, sed satis est præcognosci & fieri actum ex quocunque motivo.

Econtra dum circumstantiæ actum externum constituunt in ratione finis alicujus virtutis, non potest actus evadere internus honestus honestate talis virtutis, nisi objectum formale motivum sit circumstantia constituens actum externum

in esse finis, aut saltem essentialiter connotetur. Siquidem per num. 545. ut actus sit in specie alicujus virtutis, debet directè intendi hujus proprius finis, ac ab eo moveri, ergo etiam à circumstantia illa, quæ eum constituit in ratione finis, ergo relatè ad actum talem honestum non est circumstantia, sed objectum essentialè volitum, aut connotatum. Exemplum sit in collatione pecuniæ datæ pauperi: paupertas est circumstantia accidentaliter collationi, et tamen essentialiter est requisita, ut collatio pecuniæ evadat sublevatio miseræ e.g. Petri, hæc est finis virtutis misericordiae: ut ergo volitio interna imperans collationem pecuniæ evadat actus virtutis misericordiae, debet tendere in illam prout est sublevatio miseræ Petri, ergo essentialiter in miseriam Petri tendit, habetque eam pro objecto, non quidem volito, seu amato, sed connotato. Nam ab illa evadit specialiter amabilis, prout necesse est, ut collatio pecuniæ sit actus misericordiae, ad quod non est necesse, ut ametur miseriam, sed connotetur, uti ex obvijs instantijs monstratur: medicina in esse amabilis, ac utilis ad morbum pellendum essentialiter constituitur partim per entitatem medicinæ, partim per talem morbum: amans tamen medicinam non debet amare morbum, sed essentialiter connotatur ab actu interno volente medicinam.

Si petas: quid sit actum internum connotare aliquod objectum? Respondeo: aliud non esse, quam quid internus dicat ad istud essentialè respectum, vi cuius intrinsecè exigit, ut se habeat eo modo, quo requiritur, ut actus conno-

tans existat: sic ut voluntas dandi Petro pecuniam sit actus misericordiae pro objecto voluto habet ipsam dationem pecuniae, pro objecto verò essentialiter connotato ipsam paupertatem, seu miseriam, velut conditionem essentialiter necessariam. Quam etsi non amet, essentialiter tamen praexigit aut potius praesupponit in Petro, & ideo circumstantia misericordiae, etsi sit circumstantia extrinseca respectu collationis externae pecuniae, ac etiam ipsius volitionis internae considerata in genere physico, considerata tamen in genere moris, videlicet virtutis misericordiae, non est circumstantia, sed obiectum essentialiter necessarium non amatum, sed connotatum, & praesuppositum.

591. Quaes quinto: an actus internus sine actu externo possit à circumstantia accessoria sibi reddi moraliter malus, aut bonus? Respondeo affirmative: sic si quis voveat se non eliciturum certum actum internum, aut eliciturum; prior actus internus elicitus evadit moraliter malus malitiâ oppositâ Religioni ex circumstantia accessoriae voti; posterior verò ab eadem redditur moraliter bonus bonitate virtutis Religionis, Izquierdo *num. 175.* advertens: ut actus iste internus ex circumstantia voti evadat actus spectans ad Religionem, opus esse volitione reflexâ implendi votum per ipsum actum, nam sine hac reflexione non amatur proprius finis Religionis, hujusque honestas moralis. Ex dictis hucusque.

592. Inferes primo: ex circumstantijs aliquas dare actui primam malitiam, ut si actus bonus; aut indifferens fiat ex fine malo: ut si des Eleemosynam

ex fine vanae gloriae, aut domo egrediaris ut occidas hominem. Econtra aliquas circumstantias dare actui primam bonitatem moralem; ut si pergas ad forum ex fine misero succurrendi, iter hoc est actus indifferens, cui dat primam bonitatem sublevatio miseri.

Inferes secundò: quasdam circumstantias supra malitiam, aut bonitatem, quam praesupponunt adjicere novam speciem diversam: sic accessus ad conjugatam fornicationis malitiae supperaddit malitiam injustitiae speciem diversam. Econtra dans Eleemosynam parenti aut sacrae personae pauperi non solum quia pauper est, sed etiam quia Pater est, aut persona sacra, ultra bonum morale misericordiae adjicis in primo casu bonum morale pietatis, in altero bonum morale Religionis speciem diversum.

Inferes tertio: aliquas circumstantias intra eandem speciem augere bonitatem, aut malitiam. Ut sit in circumstantijs magnitudinis, seu majoritatis, & parvitatatis, sive minoritatis, ut declaratum est *num. 571. & seqq.* Circumstantia se tenentes ex parte actus (de quibus vide *num. 584.*) augent intra eandem speciem exceptâ libertate, quando ex mortali defectu libertatis fit veniale, aut econtra. Quia, inquit Comptonus *to. 1. D. 94. S. 2. num. 5.* actus dignus poenâ aeternâ non est moraliter ejusdem speciei cum actu digno poenâ solum temporali.

Inferes quartò: ut circumstantia tribuat speciem, non necessario debet esse semper volita. Sic miseria est circumstantia requisita, ut datio pecuniae

fit in specie misericordiae, quin illa sit volita per *num.* 590. Vasq. 1. 2. D. 53. *num.* 14.

593. Inferes quintò: circumstantias primo constituentes in genere moris aliquem actum respectu illius non esse circumstantias, sed transire in objectum, quia non supponunt actus substantiam in linea talis moris, Vasq. c. 2.

Inferes sextò: circumstantias mutantes speciem non esse circumstantias respectu speciei, quam inducunt, sed respectu alterius, quam supponunt. Sic dum res furtiva est sacra, circumstantia sanctificationis est circumstantia respectu furti ut sic; at respectu furti ut sacrilegi, seu sacrilegij est de substantia, inducitque conditionem principalis objecti: circumstantia conjugij est circumstantia respectu fornicationis, respectu verò novæ speciei injustitiæ, quam addit, transit in conditionem objecti, cit. Vasq.

Nihilominus rectè advertit Izquierdo *num.* 177. esse quaestionem de nomine: an videlicet dicendum sit circumstantia actus, quidquid accidit substantiæ physiciæ ejus; vel verò id duntaxat, quod accidit substantiæ ejus moraliter? hoc secundum arbitratur citatus Vasq. docens: quod circumstantia tribuens primam malitiam, non sit circumstantia, sed transeat in objectum, sive in substantiam actus. Econtra Izquierdo putat primum modum dicendi videri aptiorem: juxta quem id, quod tribuit primam malitiam, potest retinere conceptum circumstantiæ: sic exitus è domo ex fine malo, accipit ab hoc primam malitiam, finisque malus oppositus est cir-

cumstantia respectu substantiæ physiciæ exitus, etsi in esse moris transeat in ejus objectum.

594. Quæres sextò: an circumstantia personæ operantis sit revocanda ad circumstantias se tenentes ex parte actus? Affirmat Coninch apud Bartholom. Magistrum de *Actib. Hum. D. 5. n. 219.* sic sanctitas operantis etiam ignota confert ad bonitatem actus per modum principij dignificantis; sanctitas enim operantis, quamvis non conducat ad majorem bonitatem moralem, seu ad virtuositatem operis, conducit tamen ad majorem acceptabilitatem ad præmium; sic Patri, etsi opera filiorum sint gratiora, non tamen ideo sunt meliora, sive virtuosiora operibus factis à non filio cum similibus omnino circumstantijs exceptâ filiatione. Ut igitur conditio, dignitasque operantis det effectum formalem digni non est necesse eam præcognosci. Et quoad hunc effectum personæ circumstantia est similis circumstantijs se tenentibus ex parte actus.

Econtra ut à conditione status operantis evadat opus laudabilius, sive moraliter melius, necesse est, ut operans præcognoscat statum suum: sic Princeps conscius suæ dignitatis, si se humiliet, efficit actum moraliter meliorem, quam plebejus. cum tamen aliàs par esset utriusque humiliatio ignoratâ conditione. Item laceffitus injurijs benefaciens laceffitenti cum præscitis injurijs majus præstat beneficium illi, quam præstando alteri, à quo multis officij est devinctus.

Hinc etiam patet, quod conditio operantis cognita augere possit malitiam ejus-

eiusdem (ut patet in eo qui habens in memoria beneficia accepta ab altero, hunc offendendo gravius peccat, quam beneficiorum ignarus) imò etiam novam speciem addere: sic si voto castitatis ligatus fornicetur cum scientia voti, committit Sacrilegium, cuius non fit reus fornicando cum invincibili inadvertentia ad votum. *Herinxbic D. 3. n. 65.*

595. Quæres septimò; quæ ex circumstantijs novam speciem malitiam adferant actui? Respondeo: illas adferre, quæ addunt deformitatem notabiliter diversam, hoc est, talem. Quæ, etsi per possibile, vel impossibile ex alijs capitibus actus esset licitus, adhuc foret sufficiens ratio illum prohibendi titulo deformitatis, quam talis circumstantia fundat.

Ut autem hanc deformitatem deprehendas in concursu malitiæ (quam actus habet ex objecto principali) substantialis cum malitia accidentali, quam attrahit ex circumstantia, compara has duas malitias inter se, & indaga; an, si substantialis malitia non esset prohibita, adhuc malitia ex circumstantia appareat specialiter difformis difformitate non sita in sola majoritate? si appareat, malitia ex circumstantia specie morali differt à malitia ex objecto: sic in furto rei sacræ malitia substantialis est furtum, malitia Sacrilegij est ex circumstantia sacreitatis, hæc malitia specie morali differt à prima, quia, etsi fingas licitum esse furari, adhuc est specialis deformitas rem Sacram furari titulo reverentiæ debitæ rei Sacræ: & è contra si per impossibile fas esset rem Sacram sibi appropriare, adhuc tamen est

singularis ratio non tractandi rem alienam invito rationabiliter domino.

Si autem ratio prohibendi habeatur ex majoritate, seu excessu malitiæ, tunc id, quod majus est altero, seu cuius malitia apparet gravior, fingatur non esse prohibitum, sed licitum, factâ hæc suppositione, inspiciatur: an adhuc in malitia minore sit ratio specialis, ob quam mereatur prohiberi nec ne? si ita, dic specie morali differre: sic adulterium est gravius fornicatione, & ab ista differt specie, quia licet per impossibile non esset illicitum adulterium ut tale, seu formalitas injustitiæ cessaret, attamen remanet specialis ratio fundata in virtute castitatis prohibendi fornicationem, videlicet periculum malè educandi prolem.

Si inter duo invicem comparata unum ex terminis appareret gravius altero, & fingatur id, quod majus est, esse licitum, si in hac ficta hypothese nulla superest specialis ratio vetandi illud, quod ex terminis constat esse levius, hæc duæ malitiæ solo numero differunt: ut furtum centum, & furtum quinquaginta aureorum: datâ enim licentiâ furandi centum, nulla restat ratio inhibendi furtum minus.

Si autem his omnibus expensis remanet dubium, aut stat utriusque probabilitas circa specificam differentiam malificarum invicem collatarum, erit dubia, aut probabilis specifica inter eas diversitas.

Regula hæc de specifica diversitate maliciarum applicanda est specificæ diversitati actuum bonorum moralium à con-

trario sensu: ut comparatis invicem actibus duobus moraliter bonis, quis fingat cessare rationem, in qua radicitur bonitas unius actus, nihilominus adhuc non cesset ratio fundans bonitatem alterius:

bonitas moralis hujus differt specie à bonitate priore &c.

Regula hæc habet Authorem Harnold. *lib. 2. Theolog. tract. 2. cap. 1. Controvers. 6.*



§. III.

De morali bonitate, & malitia actuum ex singulis circumstantiis.

596. **T**heologi cum S. Th. 1. 2. q. 7. art. 3. ordinariè enarrant septem hoc versu comprehensas.

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

D. Th. addit octavam *circa quid* ex Aristotele 3. *Eth. cap. 1.* verùm hæc videtur comprehensa in circumstantia *quid*, aut spectat ad causam materialem, id est, ad objectum materiale, circa quod actus occupatur.

Rationem, cur tot assignentur circumstantiæ? dat D. Th. nam circumstantiæ actus moralis sunt, quæ actus substantiam non constituunt, cum tamen attingunt constituendo illum meliorem, aut deteriorem per dicta toto paragrapho præcedente, sed ejusmodi sunt enumeratæ octo: quia actus substantiam possunt tripliciter attingere: primò, ipsum actum secundum se immediatè afficiendo, ut modus, quo fit, locus, & tempus, quibus fit, & sic sunt jam tres cir-

cumstantiæ, nempe *ubi, quomodo, quando*. Secundò, aliqua afficiunt effectum actus, ut circumstantia *quid*, hæc est quarta circumstantia. Tertio, alia afficiunt actus causam, ut reliquæ quatuor; circumstantia enim *quis* spectat ad causam effectivam principalem; circumstantia *quibus auxilijs* pertinet ad causam instrumentalem; circumstantia *cur* ad causam finalem: circumstantia *circa quid* importat causam materialem, seu objectum materiale, circa quod se actio moralis exercet. Singulas per curramus.

De Circumstantia quis.

597. **H**æc circumstantia non denotat personam operantis: hæc enim spectat ad actus substantiam, cum sine agente nequeat esse, sed conditionem, seu qualitatem personæ, aut ætatem, statum, officium, votum, conjugium, cœlibatum, statum Religionis, Virginitatis, Prælati, Parochi, Sanctitatis

tatis, Fidelitatis, & infidelitatis, Sponsi, conjunctionem consanguinitatis, aut affinitatis.

Qualitas personæ quodque conducit ad majus, aut minus meritum, ut major, vel minor Sanctitas per *num. 594.* Aliquando qualitas personæ cognita auget bonitatem, aut malitiam, ibidem.

Quodque adjicit speciem novam bonitatis: ut in Parocho dispensante Sacramenta, virtutem justitiæ, virtutem Religionis in exequente opus voto promissum.

E converso qualitas personæ aliquando adfert novam speciem malitiæ, aut augmentum ejusdem; utrumque constat ex paragrapho priore: præsertim à *num. 592.*

Aliquando qualitas personæ malitiam minuit: ut in ignorante vincibiliter, ac in homine rudi; aut etiam pœnitentis tollit: ut ignorantia invincibilis.

Auget malitiam in quibusdam personis titulus officij obligantis ad suis bono exemplo præluendum; Unde publicum peccatum Prælati, Episcopi, Gubernatoris, Regis est gravius cæteris paribus, quàm alterius: imò persona publica publicè delinquens propter malum exemplum facilius contrahit novam malitiam ex circumstantia scandali, quale non ita facile sequitur ex malo exemplo privati.

Imò ratio officij quodque actum transfert in aliam speciem moralem; sic peccant contra justitiam commutativam Parochus non ministrans suis Sacramenta, custos negligens impedire damnificantes, Gubernator non corrigens scelera vergentia in damnum Reipublicæ; oppo-

siti enim actus sunt debiti ex justitia: Filius injurians parentem in justitiæ adjicit speciem impietatis, subditus Principem, aut Prælatum, peccat etiam contra virtutem observantiæ.

Circumstantia conjugij in materia venerea in actibus externis, ac internis efficacibus caulat adulterium, faciè que esse contra justitiam. An habeat hunc effectum etiam in actibus internis inefficacibus? legatur *n. 586. in fin.*

Circumstantia confessarij cum pœnitente, nisi fiat sollicitatio in confessione, aut hæc assumatur ut medium, probabilius non variat speciem *Lug. de Pœnit. D. 16. à num. 351.*

Circumstantia Virginitatis probabilius etiam non mutat speciem. *Lug. num. 218.* violatio enim claustrî virginis non opponitur specialiter, sive castitati, sive justitiæ.

Circumstantia Sponsalium, ut si sponsus aut sponsa cum alio fornicetur, probabilius addit malitiam specificam injustitiæ. Ita tenui *in tract. de Matr. num. 28. Lug. num. 178.*

Circumstantia infidelitatis, ut si peccet baptizatus cum non baptizata, videtur probabilius mutare speciem: quia videtur esse specialis turpitudine in copula cum infideli, idque colligitur ex speciali prohibitione Ecclesiæ prohibentis matrimonium cum infideli. *Lug. num. 336. Sanch. lib. 7. D. 5. n. 2.*

598. Circumstantia voti caulat, ut actus illi oppositus sit Sacrilegium contra Religionem, sive sit votum simplex, sive solenne, probabiliter non differunt specie, atque adeò probabile est eum non obligari exponere voti solennitatem. Ita sentiunt

fentiunt potiores contra multos: quorum aliqui putant speciem mutare. Secundum, alios solennitas solum notabiliter aggravat intra eandem speciem.

Circumstantia frigidi, & Eunuchi causat malitiam contra naturam: frustratur enim finis copulae, qui est generatio.

Circumstantia consanguinitatis, aut affinitatis ortæ ex copula licita causat incestum usque ad quartum gradum, ortæ verò ex copula fornicaria hanc speciem addit usque ad gradum secundum tantum inclusivè. Item cognatio legalis, aut Spirituales actiones venereas, actusque efficaces efficit incestuosos. Est autem incestus peccatum luxuria, quod committitur cum persona conjuncta.

599. Difficultas gravissima est, eaque multiplex: prima, an pro diversitate gradus consanguinitatis, aut affinitatis sit specifica diversitas incestus? secunda: an incestus inter consanguineos specie morali differt ab incestu inter affines? Tertia, an incestus inter consanguineos, aut affines specie differat ab incestu inter conjunctos legaliter, aut Spiritualmente? Quarta, an incestus contra cognationem legalem specie sit alius ab incestu contra cognationem Spiritualem ex confirmatione, aut Baptismo.

Respondeo primò, incipiendo à certioribus, & facilioribus: consanguinitatem, & affinitatem naturalem non differre specie morali à cognatione legali; at bene hanc ac illas à cognatione spirituali (quæ contrahitur ex solo Baptismo, & Confirmatione inter solas sequentes personas; baptizantem & baptizatum, patrum, vel matrem cum ipso baptizato, hujusque

parentibus, inter parentes baptizati, & baptizantem. Idem dic respectivè de cognatione ex confirmatione) Responso hæc solvit difficultatem tertiam.

Ratio primi: quia, etsi naturalis sit radicata in jure naturali, nempe in copula, legalis autem sit inducta à lege humana Ecclesiastica; hæc tamen inductio facta est intuitu ejusdem motivi conjunctionis specialis, quæ est inter ejusmodi personas, & propter debitam reverentiam legaliter conjunctis, propter quam non minus sunt prohibita conjugia, quam inter naturaliter conjunctos, ergo cognatio naturalis, & legalis propter motivi identitatem spectant ad eandem virtutem pietatis, solumque differunt, penes magis, & minus intra eandem speciem, quatenus cognatio naturalis est major legali. Lugo de Penit. D. 16. num. 328. Tamb. lib. 2. Confess. c. 7. §. 7. nu. 49.

Porro legalis conjunctio illa sola inducit incestum, quæ dirimit matrimonium, & est nihil aliud quam personarum propinquitas ex adoptione alicujus in filium, vel filiam, vel nepem &c. proveniens: adoptio verò est extranea persona (cujus nomine intelligitur illa, quæ non originatur naturaliter ab adoptante) in filium, aut filiam legitima assumptio, estque probabilis: quòd adoptio non omnis, sed sola perfecta, quæ arrogatio dicitur, quæ Principis præscripto persona extranea, quæ sui juris est, transit in potestatem, & familiam adoptantis; ut hujus, sicut alij filij legitimi in quarta bonorum parte sit hæres necessarius. Vide Fr. Canonisticum de Matr. n. 140.

Perfo-

Personæ, inter quas dirimit matrimonium, sunt adoptans, vel adoptata, adoptatus, & filij legitimi adoptantis, qui in ejus sunt potestate: uxor adoptantis, & ipse adoptatus.

Ratio secunda partis responsi primi est; quod cognatio spiritualis ducat originem ex reverentia debita Sacramento Baptismi & Confirmationis; ejus enim incuitu conjugium veritum est inter spiritualiter cognatos instar cognatorum naturaliter. Ergo cognatio naturalis & legalis à Spirituali specie differt. Sanch. lib. 7. de Matr. D. 5. num. 9. ob specificam diversitatem inter reverentiam debitam Sacramentis, & debitam carnaliter, aut legaliter junctis.

Ex prima parte Responsi primi sequitur incestum commissum inter legaliter conjunctos non differre specie ab incestu patrato inter consanguineos, ac affines naturales. Lug. cit. Ex parte verò secunda colligitur incestum consanguineorum, affiniumque naturalium, atque legalium esse specie diversum ab incestu commissio inter Spirituales cognatos. Ex his.

600. Resp. secundò, & dico ad difficultatem quartam affirmativè: cum Tamb. num. 50. optime negante incestum inter cognatos Spirituales ex Baptismo specie diversificari ab incestu inter cognatos Spirituales ex Confirmatione par enim utriq; Sacramento debetur reverentia. Idè docet non esse necesse explicare: utrum baptizans, aut confirmans peccaverit cum baptizata, vel confirmata, aut hujus matre, aut matrina &c. Quoad priorem partem concordat Lug. de Panit. D. 16. nu. 335.

R. P. Karch, Diff.

Quoad secundum, verò contradicit nu. 334. volens peccatum baptizantis, aut patrini cum baptizata specie differre à peccato baptizatis cum matrina, vel patrini cum matre baptizati. Quia peccati baptizantis cum baptizata se habet sicut peccatum Patris cum filia, è contra peccatum baptizata cum baptizante est simile peccato filia cum patre, aut filij cum matre: inter has enim personas specialis est reverentia, quam proles tenentur erga progenitores, hisque proles subjiuntur, non vicissim: quæ reverentia, ac subiectio, cum non interveniat inter baptizantem, & matrinam, matrèmq; baptizati, uti nec inter matrinam cum patre, aut patrini cum matre baptizati, sequitur horum incestum esse alium specie ab incestu inter baptizantem, & baptizatam &c. ut mox clarius patebit. Subscribo contradictioni Lugo: contra Tamb.

601. Respondeo tertio, solvòque difficultatem secundam: consanguinitatem, & affinitatem non esse circumstantias specie diversas. Ita S. Th. 2. 2. qu. 154. art. 9. ad 2. proinde incestus inter consanguineos non differt specie ab incestu inter affines; sive affinitas sit ex copula licita, seu ex matrimonio, sive ex copula illicita (affinitas in hac fundata non se extendit post Trid. ultra gradum secundum, unde, si quis factus affinis ex copula illicita habeat rem cum consanguinea in tertio gradu, copula cum ista non est incestus) ita Lug. num. 313. Idem enim motivum, seu ratio prohibendi fuit carnale commercium tam inter affines, quàm consanguineos; etsi inter hos sit turpior incestus, quàm inter affines intra eandem speciem propter

Mmm

majo-

maiolem conjunctionem. Lugo *num.* 316.

Circa difficultatem primam *num.* 599. motam est præcipua controversia inter Doctores: utrum pro diversitate graduum consanguinitatis, aut affinitatis incestus sit specie diversus.

Esse graviolem intra eandem speciem, quo est propinquior gradus, est certum, nam uti cit. D. Th. arguit in Corp. *Homo naturaliter debet quandam honorificentiam parentibus, & per consequens, alijs consanguineis, qui ex ijsdem parentibus de propinquo originem trahunt. Manifestum autem est, quod in actibus venereis maxime consistat quedam turpitude, honorificentia Contraria.*

Virtus, quæ defert debitum honorem sanguine junctis, vocatur pietas, huic directe opponitur incestus ut talis, unde non formaliter, sed materialiter est species luxuriæ, quatenus cum luxuria in eodem actu conjungitur. Ita Vasq. 1. 2. D. 53. *num.* 20. tradens stuprum, adulterium, raptum & incestum non esse species directè contentas sub genere luxuriæ formaliter contra castitatem, sed in his omnibus reperiri unicam speciem luxuriæ infimam contra castitatem, huic tamen conjungi varias alias species contra alias virtutes: ut in adulterio, & raptu, & stupro violento contra justitiam, in incestu autem contra pietatem.

602. Prima sententia universaliter negat consanguinitatem specie differre ab affinitate, nec gradus consanguinitatis, aut affinitatis inter se, consequenter nec

incestum unius gradus specie esse diversum ab incestu alterius gradus. Ita Plerique Thomistæ apud Mastrium *Theolog. Mor. D. 11. num.* 122. Hanc opinionem ut probabilem tuctur Patritius Sporer p. 4. *Theolog. Sacram. cap. 3. num.* 609. *Tamb. num.* 48. Eandem vero ut nimis laxam reprobatur Thyrsus Gonzalez tom. 3. *Theolog. D. 49. num.* 111. cum tamen illam in terminis tradat cit. S. Th. ad 2. & communis apud Moya tom. 1. tract. 3. D. 3. cap. 2.

Secunda universaliter sustinet specie distingui omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis tum inter se, tum à gradibus affinitatis, & cognationis legalis: proinde incestum specificari à diverso modo oppositionis, quam habent gradus cum virtute pietatis inducentis debitam reverentiam consanguineis, ac affinis. Ita Navar. Valent.

Inter has duas opiniones est notabilis pro praxi differentia.

Nam juxta primam committens incestum in quocunque gradu consanguinitatis, aut affinitatis satisfacit confitendo dicens: *commisi semel incestum.* Contra juxta secundam debet exprimeret non solum consanguinitatem, aut affinitatem, sed etiam gradum.

Tertia sententia Mastrij *num.* 127. adhæret partim primæ, partim secundæ; primæ quatenus negat unum gradum specie differre ab altero gradu intra idem genus conjunctionis, secundæ verò volens gradus consanguinitatis specie differre à gradibus affinitatis, & utrosque à gradibus cognationis legalis.

Quarta est cit. Patris Moya à *num.* 26. tria statuentis: Primum est incestum

consanguineorum esse specie alium ab incestu affinium propter diversum modum conjunctionis: consanguinei enim ab eodem stipite descendunt, non affines. Secundum est, quod incestus consanguineorum in linea recta ab incestu in linea transversali specie differat, ut incestus cum matre ab incestu cum sorore; filius enim cum matre ratione sui conjungitur, cum sorore verò ratione parentum. Tertium est, quod incestus in primo gradu lineæ rectæ sit specie distinctus ab alijs remotioribus ejusdem lineæ, quia immediata conjunctio cum primo stipite est ordinis diversi à remota, cum hæc propter illam sit. Pariformiter asserit primum gradum lineæ transversæ esse specie diversum ab alijs remotioribus ejusdem lineæ: hos tamen inter se non diversificari, consequenter non est obligatio illos exponendi in confessione, at bene primum in linea tum recta, tum transversa, quia inter cæteros gradus consanguinitatis, & affinitatis jus naturale non prohibet matrimonium, sed Ecclesiasticum ex eodem motivo debita ex pietate reverentiæ consanguineis, ac affinibus. Hæc opinio videtur esse etiam Soarij, uti mox constabit.

Soarez *tom. 4. in 3. p. D. 22. S. 3. num. 12.* docet gradus consanguinitatis probabilis non mutare speciem peccati, omnes tamen esse explicandos in confessione recte deducit ex suis principijs, juxta quæ circumstantiæ non solum mutant speciem, sed etiam notabiliter aggravantes debent detegi idque repetit *S. 4. num. 7.* simul addens esse exprimendam circumstantiam consanguinitatis, vel affinitatis saltem quoad pri-

imum gradum in linea recta, aut transversali.

603. Ego inhæreo principio Eminentissimi Cardinalis Lug. ex parte una, ex parte verò recedo ab eodem. Dico ergo generatim eos incestus inter se specie differre, proinde explicandos esse quoad lineam, & gradum, in quibus reperitur diversa specie oppositio pietatis, tales enim notabiliter habent deformitatem diversam per *num. 595.*

Virtutis pietatis fundamentum est principium generationis: istud est immediatum, ut pater, & mater respectu filij, vel filia, aut est mediatum ut avi, vel avia respectu nepotis: principium immediatum est per se tale, quale non est avus, vel avia, sed per accidens respectu nepotis, nam respectu hujus est per accidens, quod pater suus habuerit alium parentem.

Ex hac distinctione principij per se, & principij per accidens videtur legitime deduci, quod pietas respectu parentum exigit reverentiam specie diversam eisdem exhibendam à reverentia debita mediatis progenitoribus ut avo, & avia &c. Item reverentia debita parentibus, est specie diversa à debita consanguineis lineæ transversæ in primo gradu e.g. ab ea, quam debet frater sorori; frater enim non ratione sui debet honorare sororem sed propter parentes, cum frater non sit principium sororis, nec hujus Superior. Nihilominus reverentia, quam debet frater sorori, videtur specie distingui à reverentia debita alijs gradibus remotioribus lineæ ejusdem, quia parentes sunt per se principium suarum prolium, per accidens verò nepotum, ergo reverentia

Mmm 2

est

est per se debita inter consanguineos gradus primi, debita verò remotioribus debetur per accidens, sed reverentia debita per se specie morali differt à debita per accidens, ex ista doctrina sequentia forma corollaria.

604. Colligitur primò: incestum in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ specie differre ab incestu in primo gradu consanguinitatis lineæ transversæ.

Colligitur secundò: incestum Patris cum filia esse diversæ speciei ab incestu filia cum patre, quia pater non debet reverentiam filia, at bene filia Patri, Lug. num. 314. & 318.

Colligitur tertio, incestum neptis cum avo probabilius non esse ejusdem speciei cum incestu filia cum patre contra Lug. num. 315. & 326. quia avus est principium remotum, & per accidens neptis, pater verò est principium per se filia. Non refert quod pater ob copulam cum filia fiat etiam affinis cum nepte, quia filia quoad hoc non differt specie à nepte.

Colligitur quartò, incestum in primo gradu lineæ transversæ consanguinitatis specie distingui ab incestu in gradibus remotioribus, quia respectu horum reverentia est debita per accidens, & ideo etiam in incestu cum his commissio non est necessitas exponendi gradum, at bene si contingat in primo gradu.

Colligitur quintò, incestum vitrici cum privigna, aut novercæ cum privigno specie differre ab incestu privignæ cum vitrico, & incestu privigni cum noverca, sequitur ex corollario secundo, privignus enim, & privigna debent reverentiam vitrico, & novercæ (hæc enim est

instar matris, ille instar patris) non vicissim; cujus ratio est: quòd pater, & mater per consumationem matrimonij efficiantur una caro, ergo reverentia debita patri, aut matri debetur à privigna vitrico, & à privigno novercæ, secus vicissim, in qua differentia fundatur specifica diversitas incestus per n. 603. Corollarium est Lug. n. 318.

605. Colligitur sextò: esto incestus patris cum filia, aut matris cum filio sit notabiliter gravior incestu vitrici cum privigna, aut novercæ cum privigno, probabilius tamen est esse ejusdem speciei Lug. num. 316. etsi probabilius sit, matrimonium inter vitricum, & privignam solo jure Ecclesiastico esse irritum, & contra jure naturali, secundum omnes inter patrem, & filiam per tradita in *rr. Canonist. de Matr. num. 145. junctis 151.* Ratio est: quòd jus Ecclesiasticum videns similitudinem, quam habet vitricus relate ad privignam cum patre relate ad filiam, propter eandem reverentiam, quam debet filia patri prohibent matrimonium vitrici cum privigna, sed hoc ipso incestus inter affines primi gradus lineæ rectæ, nempe inter vitricum, & privignam est ejusdem cum incestu inter consanguineos primi gradus lineæ rectæ, videlicet cum incestu inter patrem, & filiam.

Non obstat quod legislatores sint specie diversi (siquidem matrimonium inter consanguineos gradus primi lineæ rectæ ipsa natura rationalis prohibet, matrimonium verò inter affines gradus primi lineæ rectæ duntaxat Ecclesia) ut mox declarabitur.

Corol-

Corollarium istud illustrat pulchro exemplo ducto à peccato Simonia, in qua sunt quaedam Simonia de jure naturali ut venditio Sacramenti propter intrinsecam turpitudinem: alia verò sunt de jure solo Ecclesiastico: ut venditio beneficij Ecclesiastici. Et si enim hanc jus naturale non vetet, honestum tamen est, ne vendatur propter connexionem, quam habet beneficium cum re Spirituali, nempe officio: idcirco Ecclesia propter hanc connexionem vetans venditionem beneficij, hanc ponit in eadem specie cum venditione Sacramenti. Exemplum hoc Lugo desumpsit ex Soarez tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. cap. 7. num. 13. ita loquente: *Peccatum simonia etiam, quando est contra legem positivam, est mortale ejusdem speciei cum simonia contra legem naturalem: quia preceptorum diversitas quoad causas efficientes eorum non variat speciem peccati quando in materia ejusdem rationis versantur, & eandem virtutis honestatem respiciunt, quia species tam precepti, quam virtutis ex objecto, & motivo sumitur, consequenter species vitij desumitur per recessum ab his, seu per carentiam honestatis debita, qua eadem est, et si ex diversis preceptis debeat.*

606. Utrum sicut incestus in primo gradu consanguinitatis inter fratrem, & sororem habet specificam differentiam ab incestu in gradibus remotioribus, ita incestus inter affines primi gradus lineæ transversæ, puta, cum fratre mariti, aut sorore uxoris differat specie ab incestu cum consanguineis in gradu secundo, tertio, &c. mariti aut uxoris controversi-

tur? Ratio affirmandi est, quod incestus in primo gradu affinitatis lineæ transversæ videatur esse ejusdem speciei cum incestu inter fratrem, & sororem. Affirmat cit. Sporer num. 611. Negat verosimilius Lugo num. 319. quia incestus inter affines primi gradus non est prohibitus ex eodem motivo, ex quo inter fratrem, & sororem: hi enim cum sibi convivant ab infantia, & sociantur in omnibus, natura facit inter eos matrimonium illicitum, & secundum multos etiam invalidum. Quæ ratio non urget prohibitionem inter affines primi gradus lineæ transversæ, ergo matrimonium inter hos est veritum ex alia ratione, & ideo incestus etiam est alterius rationis.

Colligitur septimò: probabilius incestus cum uxore patris viventis specie differt ab incestu cum eadem mortuo patre non solum in eo, quod vivo patre simul sit adulterium, sed quod utendo uxore patris vivi huic specialem faciat injuriam contra pietatem, Lugo num. 322. numero sequente non agnoscens discrimen specificum inter incestum cum uxore patris ab incestu cum concubina patris viventis, quia ratio prohibendi est eadem. Similiter non est diversitas inter incestum cum sorore ex utroque parente, & incestum cum sorore ex unico, est enim impedimentum ejusdem rationis, multiplicatum tamen, si est soror ex utroque. Idcirco est gravior incestus, debetque multiplicatio exprimi in petitione dispensationis, idem num. 325.

Colligitur octavò: si duo consanguinei, aut affines, postquam sunt dispensati ad contrahendum matrimonium, copulam habeant ante contractum, non

committere incestum, quia non sunt amplius impediti ad matrimonium, est ergo simplex fornicatio, Moya *n.* 29.

Quærit Moya *num.* 30. an peccatum contra naturam ut sodomia cum consanguineis, aut affinibus habeat rationem incestus? Plures negant etiam apud Lugo *num.* 344. alij distinguunt; affirmantes de gradibus, in quibus jure naturæ est veritum matrimonium, tunc enim est eadem prohibendi ratio copulam sodomiticam, quæ prohibet non sodomiticam, seu conjugalem. Negantes verò de gradibus, in quibus de jure solo Ecclesiastico matrimonium non subsistit. Dant disparitatem: quod Ecclesia vetet solum coitus ordinarios, qui fiunt servato sexu, secus extraordinarios. Ita Moya *num.* 31. & 32. oppositum ut verius tradit Lugo. *n.* 345.

607; Dubitatur: utrum sicut peccata carnis à circumstantia consanguinitatis, & affinitatis propter virtutem pietatis attrahunt novam speciem incestus, ita etiam reliqua peccata, aut saltem aliqua, & quæ illa.

Respondeo non omnia, sed ea duntaxat inter filios, & parentes, aliosque ascendentes, inter fratrem & sororem, maritum & uxorem (secus inter consanguineos remotiores) inducunt specificam novam malitiam contra pietatem, quæ contrariantur jis, quæ ex virtute pietatis ejusmodi personis debentur per se aut per accidens, seu supposito aliquo accidente: sic per se filij debent parentes suos amare, honorare, seu revereri, ac eis obedire, &c. ex accidente verò visitare agros, curare, pauperes alere, captivos redimere, &c. Utrouque modo fi-

lij contrarium facientes peccant non solum contra justitiam lædendo parentum honorem, famam, contumelijs afficiendo, percutiendo, sed etiam contra pietatem. E contra parentibus furando, si eos non depauperent, peccant solum contra justitiam; furtum enim non est contra ea, quæ per se, aut per accidens debentur parentibus, Lugo *num.* 299. Navar. *in summa c.* 14. à *num.* 11. Vicissim parentes erga filios delinquant contra pietatem negligendo ea, quæ jure naturali debent præstare illis, videlicet amorem, educationem corporalem, & spiritualem.

Ut tamen parentes peccent contra pietatem prolibus debitam longè major requiritur culpa e.g. contumelia, injusta percussio, &c. propter autoritatem, quæ pollent eas corrigendi: sicut nec culpa sufficiens pro mortali erga parentes, sufficit erga fratres, aut sorores defectu potestatis unius in alterum, & tam propinqua conjunctionis. Ex hac generali resolutione Practicas de peccatis à luxuria distinctis ex circumstantia consanguinitatis illationes accipe sequentes.

608. Inferes primò: proles graviter esse reas contra amorem ex pietate parentibus debitum, si his malum grave optant, aut de eo gaudent, aut ostendunt signo externo odium, indignationem, malevolentiam duriter alloquendo, torvè aspiciendo, aliòve gestu contristando, contemnendo, subfannando, irridendo, maledicendo contumeliosis verbis afficiendo. Sporer *Tr.* 3. *in 4. Decal. c.* 5. *n.* 8.

Inferes secundò: vi debiti ex pietate amoris non solum teneri abstinere à malis

malis parentibus inferendis, sed etiam succurrere in bonis non modo in necessitate extrema, sed etiam gravi quoad spiritualia, & corporalia. Quoad spiritualia curare debent, ut Sacramentis provideantur, condant testamentum. Contra hoc peccant in pietatem graviter, si non procurent Sacramenta, impediant condi testamenta, fieri legata, Eleemosynas, aut pia in testamento ordinata non exequendo, aut sine causa justa differendo. Ita omnes cum S. Th. 2. 2. q. 122. Art. 5. Quoad corporalia in adversis casibus non succurrendo, consolando, aliaque praeibendo. De quibus dictum n. 607.

Inferes tertio: proles non sunt liberae à culpa gravi contra pietatem, si putant sibi fore dedecorosum, si suos parentes, qui sunt pauperes, & abjecti, pro talibus agnoscerent: quisque enim filius quamvis dives, ac sublimis debet jure naturae honorare parentes. Cit. Nava. (ubi etiam dicit peccari à filio, si parentem accuset criminis, extra crimen proditiionis, &c.) nisi ex justa causa sine contemptu ad grave suum vitandum incommodum in vita, honore, bonis non recognosceret, ut si parentes essent proditores, aut publico supplicio affecti. Tamb. *Lib. 5. Decal. c. 2. §. 2. num. 17.* excusans etiam à mortali, si ob erubescientiam non recognoscant, cui non abs re contradicit Sporer n. 31.

Inferes quarto: percussione, quae pater percussit injuste filium specie differre à percussione, quae filius percussit patrem, quia in hoc pater, & filius sunt pares, quod uterque peccet contra debitam sanguinis conjunctionem. At

quae pater habet auctoritatem in filium, qui idcirco debet revereri patrem, contra hanc debitam reverentiam filius peccat percutiendo, secus pater percutiens filium. Hinc parricidium differt specie à filicidio.

Item praefata injuria specie differunt ab injurijs, quibus se afficiunt conjuges, quia inter hos nulla est paternitas, aut filiatio, sed duntaxat conjunctio carnalis nata ex mutua corporum traditione, propter quam tenentur se specialiter mutuo amare. Contra hanc mutui amoris obligationem peccant se invicem injuriando: & licet viricidium sit gravius uxoricidio, attamen sunt ejusdem speciei. Ita Tamb. *Lib. 2. Confess. c. 5. num. 5. & 6.*

Omnes autem ad quartum praecceptum Decalogi observant, quod actus contra reverentiam parentibus debitam injuriosi, etsi erga alios sint leves, evadunt facile mortales, ut si filius etiam leviter percussit eos, aut solum levet brachium, aut instrumentum deliberatè ad percutiendum.

609. Inferes quinto: vicissim parentes mortaliter delinquere contra amorem ex pietate prolibus debitum, has gravi ac injusto odio prosequendo, illis mala imprecando animo, ut eveniant, non avertendo mala gravia sive corporalia, sive spiritualia, dum possunt, sine causa duriter tractando, aut dum adhuc in matris utero sunt, si pater est crudelis in praegnantem uxorem, ut si hanc exasperet, periculose percussit, &c. id enim cedit in grave damnum fetus, uti etiam mater hujus damni se facit ream, si praegnans curret, saltet, noxia bibat, aut come-

comedat, aut gravia onera portet, vel levet cum praviso periculo abortus, aut vitiandæ prolis, aut nutrices pravorum humorum, morumque conducatur.

Eadem pietas parentes obstringit ad præstanda tum corporalia, tum spiritua- lia prolibus, quoad corporalia debent præstari alimenta (horum nomine respectu matris venit solum lac *L. nec filium C. de patria potestate*, respectu patris verò victus, vestitus, habitatio, lectus, medicinæ tempore aegritudinis, impensæ funeris & quidem hæc omnia non secundum necessitatem sed status qualitatem, & morem patriæ, proinde procurare debent, ut filij addiscant literas, per has intelligit Gobat *Theolog. Juridico Mor. c. 29. num. 16.* ea, quibus aliorum filij paræ conditionis erudiri solent) & sumptus necessarij, ut filij ad eum perfectionis statum perveniant, quem rationabiliter ipsi eligere possint. Hinc nobilium pauperum, & Doctorum filij sunt applicandi studijs, ut postea valeant emergere: parens autem rusticus, aut opifex non tenetur filium mittere ad Scholas, sed sufficit expendere necessaria ad statum ei competentem e. g. militarem, mæchanicum. Ita habet usus communis; videmus enim penes parentes stare, inquit Gobat *n. 17. & 18.* determinationem sui filij ad statum particularem relicta libertate filio ad statum universalem, qualis est matrimonij, & Religionis: interim optime faciunt illi, qui se accommodant filiorum inclinationi.

610. Quid si filij aliunde habeant alimenta? Respondeo onus eos alendi tunc in foro conscientiæ cessare, filij tamen in foro externo petere possunt æsti-

mationem alimentorum, Azor *p. 2. lib. 2. c. 4. q. 16.* dat rationem Sporer *n. 41.* ne parentes facile filios alendos relinquunt alijs, juste id statutum. Sed filius est culpabiliter à monasterio ejectus, aut in hæresim prolapsus, aut dissipavit sibi assignata pro alimentis, aut neglexit providere cum potuerit. Resp. adhuc esse alendum ita Azor *à q. 7.* Tamb. *Lib. 5. Decal. c. 3. §. 1. num. 1.* quia adhuc filius, aut filia manent talis, estque pars patri huic à jure naturæ commendata, ergo ali debet ex pietate: nisi dederit aliquam causam justam ex 14. in jure civili expressis pro exhæredatione, quia tunc ob ingratitudinem filius non amplius habetur pro filio, sed instar alterius proximi in necessitate adjuvandi. Idcirco juste denegantur alimenta etiam simpliciter ad vitam necessaria, uti uterque Mol. tradit apud Sanchez *Lib. 4. de Matr. D. 26. num. 1.* ipse verò probabilius obligat ad necessaria exhibenda, sequitur Tamb. *num. 8.* nam physicum esse filij nunquam deficit.

Quis in defectu Patris debet alere? Respondeo quod mater huic in obligatione succedunt progenitores paterni, post hos materni, tandem onus istud juxta ordinem naturæ, & charitatis transit in proximiores consanguineos, Tamb. *n. 1.* restringens onus hoc ad solos fratres, sorores, & patruos.

611. An onus alimentandi incumbat proles etiam illegitimas tam naturales (id est, genitas ex copula nec approbata, nec reprobata jure civili, proinde ex parentibus solutis, quorum subsequens matrimonium illas legitimat) quam spurias,

spurias, five ex copula damnata genitos, puta, incestu, adulterio, sacrilegio,

Respondeo primò de naturalibus affirmativè etiam de jure cæsareo (nisi non indigeant, etsi legitimi essent, Tamb. num. 7. Mol. mox citandus) *Mol. tr. 7. de just. D. 168. vers. sicut parentes*; imo eodem jure possunt jis donati, aut relinqui omnia parentum bona deficientibus legitimis.

Respondeo secundò etiam affirmative de spurijs: jus Cæsareum prohibet quidem justè aliquid causà mortis jis donare, aut relinquere, ne diminuatur legitimis hæreditas: si intendat etiam illis denegare alimenta juxta conditionem, & facultatem parentum, est correctum à jure canonico *C. cum haberet 7. de eo, qui duxit in Matr. in fin. Solitudinis ramentue intererit, ut uterque liberis suis, secundum quod eis suppetunt facultates necessaria subministrat*, Molin. *vers. cit. juncto vers. jure ramentue canonico.*

Recte proinde deducit Sanch. *lib. 2. Consil. 8. 3. dubit. 35. & 36.* apud Tamb. *num. 6.* patrem spurijs prolibus debere relinquere alimenta proportionata statui, filia dotem assignare (hæc succedit alimentis) ex bonis non solum patrimonialibus, sed etiam ex Ecclesiæ redditibus, *Mol. vers. in dotem.* Si dos excedat competentiam alimentorum ante sententiam Judicis in foro conscientia excessus est restituendus hæredibus parentum filia, idem *ibid. Tamb. num. 6.* Pius V. vetans præberi spurijs alimenta,

R. P. Karch, Diff.

est intelligendus, si aliunde possunt alii, ita citati Doctores.

Obligatio alendi spurios cadit etiam in Religiosos liberos bonorum administratores, non supra alios; horum filios debet mater alere, quæ sibi imputet hoc onus, cum sciverit ejusmodi parentes nec posse esse parentes, nec alere. Sporer *num. 50.* Hactenus de onere ministrandi prolibus temporalia.

612. Quoad spiritualia sunt graviter obstricti parentes instruere per se, aut alios proles in rebus ad salutem necessarijs, nempe in Mysterijs Fidei, Sacramentis præsertim necessarijs necessitate medij, ut in Baptismo, Pœnitentia & graviter præceptis: ut in Evcharistia, in Mandatis Decalogi, & quinque præceptis Ecclesiæ, Symbolo Apostolorum, in Oratione Dominica, Angelicæque saltem quoad substantiam. Obligantur præire bono exemplo, consequenter maxime cavere à Scandaloso: *Memento te* inquit Divus Hieronymus. *Epist. ad latam vos parentes magis exemplo docere filios, quam voce (& infra de filia) nihil in te, & in patre suo videat, quod si fecerit, peccet.* Demum peccantes proles debent corripere & emendare, discretè tamen: *Qui parit virge, odit filium suum: qui autem diligit illum, constanter erudit.* Proverb. 13. *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina, & correptione Domini ad Ephes. 6.* Nemo à mortali potest excusare parentes vitia prolium corripere notabiliter negligentes, idque peccatum non solum opponi-

N n n

tur

tur charitati, sed etiam pietati, quæ est pars iustitiæ.

Adde ex Navar. *num.* 18. quod parentes incurrant mortale, si sinant filias habere amafios ad malum finem, aut adire suspecta consortia, aut cogant ad connubium, cum vellent ad Religionem transire.

Cum tutores sint quasi parentes, utpote succedentes parentibus in suo officio, notabiliter negligentes sunt in amore, & præstatione eorum, quæ parentes tenentur erga proles, peccant mortaliter; & vicissim filij pupilli notabiliter deficientes in amore, reverentia, ac obedientia erga tutores graviter delinquent juxta omnes.

De circumstantia quid, & circa quid.

613. **Q**uæres primo: quid sit circumstantia quid, & an sub ea comprehendatur circumstantia circa quid: & quid propriè per hanc intelligatur.

Respondeo ad primum: per eam non significari objectum ipsum utpote spectans ad substantiam, sed objecti conditionem, nempe materiæ quantitatem, aut qualitatem, aut effectum secundarium, seu damnum, quod prævideatur securum ex causa ponenda: huc etiam pertinet qualitas personæ circa quam opus fit, solèturque vocari circumstantia circa quid, & sic patet etiam ad secundum responso.

Respondeo ad tertium: circumstantia circa quid propriè indicat personam, circa quam peccatur; est enim ta-

lis persona quædam pars materiæ illius peccati, ut si persona percussa sit clericus, aut Laicus, aut consanguineus, illico merito continetur sub circumstantia quid, Soarez in 3. p. tom. 4. de Penit. D. 22. S. 4. num. 3.

Quæres secundo: an circumstantia circa quid quoad qualitatem personæ, cum qua peccatur, in materia luxuriæ variet speciem in omnibus casibus, in quibus circumstantia quis.

Respondeo affirmativè: adverte ergo debet, an persona, cum qua quis peccat sit conjugata aut libera, aut virgo, aut sponsa alterius, aut infidelis, aut voto castitatis ligata, aut tua pœnitens, aut consanguinea, vel affinis, ac in quoto gradu lineæ rectæ, vel obliquæ.

His applicanda est doctrina *num.* 597. à Vers. Circumstantia conjugij ulque ad *num.* 607. In alijs autem materijs, si persona circa quam sit pater, aut filius, aut pupillus: peccatum, quando addatur novam speciem, relege *num.* 610. & seq. 2. unde si percussus sit clericus, est percussio sacrilega; si pater, percussio est impia &c.

614. Quæres tertio: an quantitas materiæ augeat actum moralem bonum, aut malum? Respondeo affirmativè, si multum det eleemosynæ crescit notabiliter actus misericordiæ, furtum vero, si quis multum furetur, aut multum sit intemperans, aut multum noceat in fama, honore: sic enim peccat mortaliter, veniale erit, si parùm circa hæc committat.

Quæres quarto: an qualitas voluntatis mutet speciem?

Respondeo: saepe mutare. Primo in materia luxuriæ tactus: impudici differunt specie morali à copula (nam hæc proximè, secus illi nocent proli) & à pollutione, in hac, si fiat cum complice, huius status nempe sexus, calibatus, conjugium ordinarie est exprimendum, quia regulariter fit ex affectu concubitus cum tali persona (si non fiat animo concumbendi sed purè libidinem explendi, est pura mollities. An fiat intra brachia, coxendices, os &c. viri, aut foemina non variat speciem; nisi fiat in parte præpostera, aut affectu erga eam, quia tunc addit speciem Sodomix, Tamb. lib. 2. Exped. Confess. cap. 7. §. 10. nu. 64. & 75.

Secundò, specifica diversitas materiæ præceptæ saepe specificat violationem præcepti (hoc enim materiam præceptam constituit intra speciem virtutis quam præcipit: ut jejuniùm in materia temperantiæ, missæ auditionem in materia Religionis) secus præcepta diversorum præcipientium ex eodem motivo Soarez relatus num. 605. & ideo fractio jejuniij in Vigilia S. Mathiæ coincidentis cum quadragesima non differt specie.

615. Tertio, desiderium efficax pro specifica materia diversitate est specie diversum: efficaciter enim intendens mortem alterius est homicida, famæ læsionem est detractor &c. quod probabiliter extenditur ad desiderium inefficax, seu speculativum, huius tamen oppositum est præctice probabile, quia desiderantur inefficaciter illa diversa mala sub ratione generica mali proximi, in quo omnia conveniunt. Lug. de Pœnit. D. 16. nu.

261. hoc totum jam est traditum n. 586. & seq.

Quartò, in Sacrilegio circa res Sacras pro specifica diversitate sanctitatis harum est Sacrilegium specie diversum, quapropter qualitas rei Sacræ est exprimenda; aliter enim sunt Sacra Sacramenta, quam Reliquiæ, aut Sacra vasa, & hæc quàm vestes, aut verba Sacra, dum horum abusus fit ad amatoria, vel scurrillia, facætiæ, vel ad stabiliendas hæreses.

E contra fractio voti non diversificatur specie pro diversitate rei promissæ: omnis enim materia promissæ constituitur in materia Religionis sub eadem ratione motiva: omnia ergo vota, uti & juramenta intra terminos voti, ac juramenti sunt ejusdem specie infimæ. Lug. num. 285. & seq. Contumelias, detractiones, judicia temeraria non evadere peccata specie diversa pro diversitate materiæ sentit communior opinio cum Lug. num. 265. contra multos, quia omnis honor, fama, ac interna bona existimatio in genere moris sibi æquivalent non minùs, quàm omnia bona fortunæ.

Ex hoc sequitur veritas sententiæ docentis honorem læsum, vel famam in uno genere esse reparabilem laudando in alio: verum hæc sequela, cum sit contra communem, & minus vera: ideo opposita opinio asserens præfata bona specie diversa in genere moris, proinde debere specificari in contumelijs, detractionibus &c. videtur probabilior.

In peccato jactantiæ probabiliter non est specificandum peccatum, de quo quis se jactat seclusa omni in se, vel in alio complacentiâ de tali peccato: malicia

tia enim jactantia est sita in irreverentia illa, quâ DEI offensa usurpatur ut medium ad captandam inde humanam gloriam, sed hæc irreverentia non sit specie diversa pro peccatorum diversitate Lug. num. 268. contra Sanch. lib. 1. Decal. cap. 3. num. 13. cujus opinio ut probabilis defenditur etiam à Lug. à nu. 269. quia quavis virtus, cui opponitur peccatum, de quo est jactantia, prohibet: ne irreverenter tractetur, tractatur autem irreverenter per jactantiam de peccato illi opposito. Hanc censeo probabiliorem. In eo utraque sententia concordat, quod jactantia de crimine ficto, & vero non differant specie.

Dixi *seclusa omni complacentia*, quia jactans se de peccato si sibi in eo complacet, aut alium laudet de peccato, debet exprimere: nam in primo casu est gaudium de peccato, quod pro hujus diversitate est probabilius specie diversum per num. 588. Lug. num. 266. monens frequenter esse annexum jactantia gaudium, in secundo verò casu est quædam exhortatio, æquivalétque consilio ad sibi complacendum, aut ad novum peccatum repetendum, proinde est scandalum directum, Lug. n. 274.

617. Quares quinto: an blasphemie qualitas adfert novam speciem peccati? Respondeo esse controversum apud Lug. à num. 277. Negant plures; ipse distinguit cum Sanch, lib. 2. Decal. cap. 32. num. 39. post medium Soarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. num. 18. & 19. affirmans distinctionem specificam inter blasphemias in DEUM, ejusque attributa à blasphemijs in Sanctos: quia blasphemie in DEUM opponuntur

cultui latria debito soli excellentie increta, quæ oppositio cum non varietur pro diversitate attributorum DEI, sit, omnes blasphemias in DEUM esse ejusdem rationis, secus cum blasphemijs in sanctos quia istæ propriè sunt contra virtutem Dulia, seu excellentiam creatam supernaturalem, quæ excellentia cum non differat specie in diversis sanctis, sequitur respectu horum non reperiri species diversas; nisi sit blasphemia in Beatissimam Virginem, quia hyperdulia, quæ colitur Beatissima Virgo, specie differt à dulia, quæ colimus ceteros Sanctos, ipsa enim est etiam Mater DEI, quæ excellentia moraliter specie differt ab excellentia reliquorum Sanctorum.

618. Quares sextò: de peccato infidelitatis opposito fidei virtuti Theologica: an qualitas mutet speciem? ea in genere est triplex. Primò negativa, hæc inest ijs, qui nunquam audiverunt de fide, ut gentiles: non est peccatum ex Joan. 15. *Si non venissem ait Christus, & locutus fuisset, peccatum non haberent*, est tamen pœna peccati originalis Sangall. to. 4. tract. 1. S. 7. quæst. 1. conclus. 3. ex communi Sanctorum Patrum unde S. Tb. 1. 2. quæst. 85. art. 3. *in Corp.* inter præcipua vulnera homini inflicta ob originale ponit primo loco ignorantiam, videlicet invincibilem, utique etiam ad salutem necessarium, quæ sunt fidei mysteria in illis, quibus nunquam est fides promulgata. Secundò, est privativa sita in culpabili negligentia comparandi fidei notitiam in ijs, in quibus fides est sufficienter proposita non quidem ad credendum, sed ad indagandam ejus veritatem. Tertio, est positiva

tiva infidelitas consistens in voluntario errore circa res fidei sufficienter ad credendum propositas.

Tam privativa, quàm positiva est peccatum ex natura sua excludens fidem supernaturalem: differunt specie morali, nam privativa stat ex parte voluntatis cum affectu universali credendi omnia sibi per Ecclesiam, aut aliam infallibilem regulam sufficienter proposita ut revelata: & ideo non habet annexam pertinaciam, quæ juxta communem ex Aug. lib. 4. de Bapt. cap. 16. est efficax, ac deliberata voluntas dissentienti alicui veritati revelata ut tali sufficienter proposita, atque adeo repugnat directè, ac excludit objectum formale fidei, seu DEUM ut revelantem, ac opponitur præcepto credendi; privativa verò infidelitas non excludit objectum formale fidei, nec opponitur directè præcepto fidei, seu credendi, sed præcepto indagandi veram fidem. Platel. de Fidei num. 279. rectè addens indirectè opponi fidei, quatenus is, qui negligit diligentiam debitam, sciendi credenda, cui diligentia opponitur directè, impedit fidem, hanc igitur excludit duntaxat impeditivè, sive eam impediendo.

E contra infidelitas positiva excludit directè, & formaliter, nam malitia ejus formaliter consistit in eo, quod contradicat DEO revelanti sufficienter proposita. Hæc ex S. Th. 2. 2. quest. 10. art. 5. ab omnibus recepta est triplex: paganismus, Judaismus, & hæresis. Infidelitas contradicens omnibus mysterijs revelatis, sive nullius mysterij fidem habens dicitur paganismus, Judaismus est in credente veteri testamento, ac ventu-

rum Messiam, at discredens novo, sive negans Christum jam advenisse. Hæresis est in eo, qui vetus, & novum testamentum fatetur, contradicit tamen alicui veritati revelata sive veteris, sive novi testamenti.

619. Respondeo ad dubium n. 618. propositum: negativam infidelitatem specie differre à cæteris, quia hæ sunt peccatum, secus negativa. Privativam esse peccatum specie morali distinctum proximè ostendi.

Probabilius est tres species positivæ infidelitatis esse ejusdem speciei essentialis moralis, spectatas præcisè quatenus fidei opponuntur, differreque solum accidentaliter penes magis, & minus, atque adeò in sententia obligante ad confessionem circumstantiarum notabiliter aggravantium esse confessario declarandas ita Pal. p. 1. tract. 4. D. 2. p. 1. num. 4. contra Cajet. & plures alios.

Ratio deducitur ex malitia positivæ infidelitatis; consistit enim ut dictum, in contradictione renitente DEO revelanti, quæ renitentia essentialiter est eadem in quavis specie, si enim contradicit in omnibus revelatis est paganismus, si in solis revelatis novæ legis divinæ est Judaismus, si solum in aliquibus novæ, aut veteris legis est hæresis, inter quas, ut apparet ex terminis, est notabilis diversitas aggravans intra eandem speciem, cujusmodi circumstantiæ in veriore mihi opinione non sunt de necessitate constituendæ.

Dixi *spectatas præcisè quatenus fidei opponuntur.*

Nam ex alio capite est obligatio singularis has species exponendi, quia singula

la ultra malitiam fidei contrariam opponitur diversimodè Religioni, propter ritus aliquos specie diversos: Judaismus, proficitur circumcissionem, quæ post adventum Christi est superstitiosus cultus: Paganismus includit Idololatriam, Hæresis usum Sacramenti invalidi Evcharistiae, ut Calvinismus, ac Lutheranismus, hic credit præsentiam Christi saltem in sumptione, ille verò nullam, sed credit esse meram Christi figuram. Ita Lug. n. 291. Pal. n. 6.

620. Videtur plures dari species infidelitatis non comprehensas sub tribus explicatis: ut Atheismum, Turcismum, Apostasiam, & Schisma. Respondeo negativè Pal. à num. 7. nam Turcismus, & Atheismus comprehenduntur sub Paganismo; Turcæ enim negant Christum Redemptorem: & esto quædam credant nobiscum, & cum Judæis, ea tamen credunt, non ut à Christo, sed ut à Mahomete dicta.

Quod Atheus neget DEUM, quem credit Paganus, per hoc Atheismus non differt specie à Paganismo, sed hic pauciores negat fidei articulos, quàm ille: hoc autem non variat speciem.

De Apostasia esto Soarez de Fide D. 16. S. 5. num. 10. defendat specie differre à relatis tribus, ejusque sententiam probabilem fateatur Pal. num. 10. in fin. probabilius est, quod non differat specie ab hæresi, Pal. cit. Lug. à num. 294. destruens fundamentum Soarij ponentis malitiam Apostasiae ultra malitiam infidelitatis in malitia contra promissionem, quæ fit in Baptismo, aut contra pactum cum Ecclesia initum, quæ malitia utpote contra votum, aut promissio-

nem opponitur Religioni; quatenus verò est contra pactum cum Ecclesia opponitur jurisdictioni Ecclesiae, cui se subtrahit. Hoc fundamentum invertitur: nam parvulus in Baptismo, nihil vover, nec promittit. Nec præfata subtractio probat specialitatem malitiae ut patet in eo quia baptizatur in hæresi, fit subiectus Ecclesiae, à qua subjectione se subtrahit perseverando in hæresi, quin sit Apostata, ergo malitia Apostasia non consistit in dicta ab Ecclesiae obedientia subtractione.

Ratio ergo ob quam Apostasia non sit distincta ab hæresi est, quod ejus malitia consistat in desertione fidei suscepta, sed hæc desertio non est species à Paganismo, Judaismo, & Hæresi diversa, sed genus contrahibile ad unum ex his speciebus. Pal. n. 10.

De Schismate puro nego esse infidelitatem: purum enim Schisma est merus recessus ab obedientia Summi Pontificis retinens omnes fidei articulos, si ultra hanc à capite Ecclesiae divisionem addat hæresim, erit Schisma mixtum hæresi. Hinc moderni Græci Schismatici non sunt purè tales, sed simul hæretici negantes processionem Spiritus S. à Filio.

621. Deduco ex resolutis hæresim ab hæresi non differre specie in ratione hæresis, e.g. Calvinianam à Lutherana, idcirco sufficit dicere: lapsus sum in hæresim non explicando qualitatem, quia quoad negationem fidei sunt ejusdem speciei moralis per num. 619. Reginald. tom. 1. lib. 6. cap. 4. num. 114. Dixi in ratione hæresis: nam ex parte termini ad quem specie differt quævis Secta hæretica ab altera, ob peccata specie die-
stin-

distincta ratione specie diversi per nu. 619. *vers. dixi spectatas.* Sanch. *lib. 2. De cal. c. 7. n. 17.* Lugo, Pal.

Deduco secundò hæresim circa unum Fidei Articulum. e. g. *Mysterium Trinitatis non differre ab hæresi in ratione hæresis circa aliud Mysterium e. g. de reali præsentia Christi in Evcharistia.* Tamb, *lib. 2. Exped. Confess. c. 2. §. 1. num. 2.* quia utrobique est idem contemptus DEI revelantis, & ideo ex hoc capite non est in particulari explicandus error, seu qualitas Articuli. Contra cit. Sanch. *Dixi ex hoc capite:* nam si negatio Fidei circa aliquem Articulum trahat secum peccatum aliud specie diversum, ob hoc est necessitas tunc explicandi: ita contingit in hæresi negante *Mysterium Trinitatis* includit peccatum etiam blasphemiam, seu convitium in DEUM detrahendo illi perfectionem competentem.

622. Quæres septimò: an qualitas superstitionis variet speciem, sitque exprimenda? Quæstioni non potest satisfieri sine notitia superstitionis, ideo solutioni præmittendum est: quod inter virtutes morales quædam versentur circa passiones temperandas ut fortitudo, & temperantia: aliæ circa operationes erga alterum, ut justitia, & Religio; prior circa jus cuique suum tribuendum, posterior circa cultum DEO debitum. Unde cum morales virtutes, ut maneant virtutes, debeant attingere medium, vel rei (sic justitia commensurat rem ad rem, nempe quantitatem rei ad jus alterius) aut medium rationis, seu quale recta ratio præscribit attenda non solâ qualitate rei, quæ usurpatur, sed etiam habitudi-

ne, quam res habet ad operantem consideratis varijs hujus circumstantijs. Sic, ut mediocritas in cibo, & potu servetur, & præscribatur à temperantia, debent considerari circumstantiæ utentis cibo, & potu, hujusque qualitas & quantitas. Unde cum medium sit inter duo extrema, virtutes morales dicuntur positæ in medio, nempe inter duo vitia: quorum unum per excessum, alterum per defectum illis opponitur. Ut fortitudini per excessum audacia, per defectum timor, temperantiæ per excessum gula indulgens omni voluptati, per defectum aegritas fugiens omnem voluptatem.

623. Hinc virtus Religionis, ad quam spectat cultum DEO debitum deferre, tenet medium inter duos indebitos, seu vitiosos cultus, quorum unus est per excessum, alter per defectum. Ita S. Th. 2. 2. q. 92. Art. 1. Per excessum fit oppositio non quoad quantitatem cultus debiti DEO, cum quantumcumque colatur DEUS, minor sit, quam ei debeatur; sed quod sit excessus, vel secundum objectum, dum pro DEO colitur id, quod non est DEUS; vel secundum circumstantias, dum colitur verus DEUS modo indebito, quæ vitia sub communi nomine superstitionis comprehenduntur. Per defectum fit oppositio, dum cultui, qui debetur DEO aliquid detrahitur, idque dupliciter; directè, aut indirectè, directè, dum DEO irrogatur irreverentia secundum se, & immediate, ut per tentationem, perjurium, blasphemiam; indirectè verò, quando res DEO dicata, ut sacra personæ, loca sacra, res sacra, seu ad DEI cultum destinata indignè tractantur; & hæc vitia com-

communi nomine sacrilegij intelliguntur. Quæstio nota procedit de vitijs per excessum, seu de superstitione.

Superstitio est cultus vitiosus veri, aut falsi numinis. Ita in re omnes cum S. Th. *lib. 2. c. 43. num. 2.* Dividitur in eam, quæ cultus DEO debitus creaturæ defertur, & in eam, quæ verus DEUS modo indebito colitur.

Prior subdividitur in tres species, idololatriam, divinationem, & vanam observantiam. Posterior est duplex, una deferens cultum falsum, altera deferens cultum superfluum.

624. Cultus falsus dicitur is, qui significat aliquid falsum, idque dupliciter potest accidere, nempe vel ex parte rei significatæ, sive medij assumpti in cultum, ut qui Ceremonijs Judaicis nunc DEUM coleret, quæ significant Christum venturum, aut falsis Reliquijs, aut falsis Miraculis, aut falsis Testimonijs ad confirmandam veritatem nostræ Fidei, aut falsis Sacramentis per mutationem formæ, aut materiæ: sic enim significatur Sacramenti confectio, dum nulla est.

Alter cultus falsus est ex parte colentis, ut si quis tanquam Publicus Minister, cum talis non sit, colet DEUM. Ut si non Sacerdos, aut Sacerdos sed Excommunicatus celebret, aut contra Ecclesiæ institutum alia intermiscet, ut si divinis officijs turpia, aut vana inseret. De quo vide Sanch. *lib. 2. Decal. c. 37. num. 7.*

Cultus superfluus est, qui ex se nihil falsum significat, nihil tamen conducit ad DEI honorem, sive exteriorem, sive interiorem: quia non excitat ad Spiritum,

nec ad DEI gloriam ordinatur, sed est vanus, seu inanis, id est, inutilis, sive improportionatus: ut orare ante soles ortum, aut accendere candelas in tanto numero, vel colore, vel situ, non vere die Sabbati ad honorem Beate Virginis interim occupari alijs laboribus, aut si contra institutum ac praxim Ecclesiæ: ut si in divino officio relictis rubricis quadam pro sua devotione addat e. g. gloriam, & credo, dum dici non debet.

625. Cultus falsus directè versari potest vel circa DEUM, de quo proxime dictum, vel circa creaturas, quando cultum Soli DEO debitum creaturis attribuit: hic cultus vocatur idololatria, id est, latria idoli, seu cultus Soli DEO vero debitus defertur idolo: nomini idoli venit statua, aut effigies, seu imago, non quævis, sed ad cultum indebitum consecrata, seu dicata, unde imago rei vere erecta ad cultum ei, quo est digna, deferendum non est idolum.

Et hac ratione Lynodus VII. *lib. 7.* definit imagines Christianorum, & pro ut Ecclesia Catholica eas recipit, non posse dici idola. Ita Soarez *to. 1. de Relig. tr. 3. lib. 2. de Superstit. c. 3. n. 3.* De cætero ut notat *num. 4.* potest imago rei aliàs veræ e. g. veri hominis esse idolum, si destinetur ad colendum illum hominem ut DEUM: sic enim erit imago falsi DEI, consequenter sub ista ratione erit imago, rei non existentis. Ita Aug. idolum declarans vocat, *cujusdam DEI falsi simulacrum*: quo sensu etiam intelligitur Paulus *1. Cor. 10. Scimus, quia nihil est idolum in mundo.* Ex hac primæva idoli significatione nomen idoli est extensum ad significandam quamvis

vis creaturam, quæ colenda proponitur supremo cultu, qui debetur vero DEO.

Omnis igitur creaturæ adoratio, per quam illa ut DEUS adoratur, est idololatria, creaturæque sic adorata est idolum. Soarez *num. 5.* qui *num. 7.* docet latriam fieri posse actibus internis, & externis. Ut sit vera, & non ficta, seu simulata requirit ex parte intellectus actum, quo res, quæ adorabilis, seu adoranda proponitur, æstimetur per DEO. Secundò ex parte voluntatis intentio adorandi, id est, exhibendi aliquod signum submissionis, sive recognitionis excellentiæ Divinæ in tali re. Tertio adoratio, id est exhibitio talis signi, vel interioris, ut sit in adoratione mere interna; vel exterioris, si sit exterior. Ex hoc deducit ut sit vera, & consummata idololatria circa idolum, tria debere concurrere, primò opinio ex parte intellectus, quod aliquid divinitatis insit idolo, sive rei adorabili, ex parte voluntatis affectus adorandi, & demum ipsa adoratio, seu exhibitio signi submissionis, &c. Hæc tria expendit toto *c. 4.*

626. Ut autem hæc tria applicet *num. 3.* dividit idololatriam in veram, & fictam. Adoratio vera est tripliciter talis: nempe vel ex parte adorantis, aut personæ adoratæ, aut utriusque. Si ex parte adorantis re ipsa sit recognitio excellentiæ, & hanc protestari intendat, est vera ex parte adorantis, etsi sit falsa ex parte rei adoratæ, ut si in hac non reperitur excellentia: at si adorans externè non intendat interius recognoscere seu adorare, prout exterius indicat, est parte adorantis adoratio falsa, esto possit esse

R. P. Karch, Diss.

vera ex parte rei adoratæ, ut si in ea verè detur excellentia, quam indicant signa externa, quam tamen adorans non vult confiteri, seu recognoscere. Si demum signum adorationis sit in se falsum, seu ex parte rei adoratæ, ac simul fiat ficto animo, dicitur adoratio ficta simul, ac falsa.

Hinc sequitur primò, quod omnis idololatria sit adoratio falsa ex parte rei adoratæ, quia significat in ea excellentiam, quæ caret Soarez. *c. 4. n. 3.*

Sequitur secundò, cum latria significet adorationem significativam divinæ excellentiæ in eo, cui defertur, quando verè significat talem excellentiam in re adorata, est simpliciter, & vera latria: quando autem falso eam significat, est falsa latria, seu idololatria. Cir. Soarez.

Sequitur tertio idololatriam ex parte adorantis esse aliquando veram, aliquando falsam. Vera procedit ex animo non ficto, sed ex intentione adorandi, licet aliàs falsum significet, seu in se sit falsa latria. Falsa seu ficta ex parte adorantis est, dum quis talem cultum non ex animo exhibet. Hæc fictio est interdum ex parte intellectus, ut si quis non opinatur inesse rei adoratæ divinitatem; ex certis tamen extrinsecis causis ponit signum externum significans dictam opinionem, interdum autem ex parte intellectus agnoscit divinitatem in re, exhibetque signa externa, quibus fictè significat affectum internum adorandi talem rem, cum tamen caret tali affectu: sic Daemon agnoscit in Christo divinitatem, cogiturque aliquando eam confiteri, ei-

O o o

que

que se incurvare, quin habeat affectum honorandi.

627. Sequitur quartò: sicut ad veram latriam *per num. 625.* requiritur ex parte adorantis opinio, quod res adorata sit DEUS; ita ad veram idololatriam est necessaria opinio, quod divinitas in sit idolo, seu rei adorata. Hic primus idololatriæ modus, quod non sit impossibilis probat Soarez *c. 4. num. 5.* ex pœna peccati originalis, post quod adeo est excæcata creatura rationalis, ut usque ad veri DEI ignorationem pervenerit. Iste modus procedit ex infidelitate, seu errore directè opposito Fidei circa DEUM verum. An hic error queat oriri ex ignorantia invincibili, cum sapertè repugnet lumini naturali, vide Soarez *c. 6. num. 2.* affirmantem.

Modus secundus idololatriæ contingit sine infidelitate, ex affectu tamen alteri exhibendi divinum honorem, ut dum quis sciens Dæmonem non esse DEUM, animo tamen illum honorandi, Illi e. g. sacrificet, &c. ut habeat sibi propitium, sive ex cupiditate aliquid ab eo obtinendi, aut ex odio in DEUM. Hunc modum esse intrinsecè malum, ac crimen læsæ divinæ Majestatis patet ab instantia in creatis: ut si quis ultra verum Regem recognosceret alium deferendo illi Regium honorem signis, etsi externis duntaxat, nihilominus haberetur pro Reo læsæ Majestatis humanæ. Soarez *num. 3.*

Tertius modus idololatriæ contingit sine infidelitate ex parte intellectus, & sine affectu colendi creaturam ut DEUM, sed solum exhibetur illi signum externum adorationis Soli DEO competentis ex

gravi metu e. g. mortis, ut hanc declinet. Hæc tertia idololatria dicitur materialis seu simulata, seu fictè delata idolo sine affectu interno voluntatis. Econtrà prima & secunda vocantur formales, & quidem prima ab aliquibus dicitur perfecta, secunda imperfecta: perfecta itaque fit ex pravio errore infidelitatis, secunda verò non fit ex illo, sed ex pravo affectu; cum enim sciat, aut credat Soli DEO vero posse tribui latriam, nemo potest hanc velle tribuere creaturæ, nisi ex odio in DEUM, animoque se vindicandi, uti faciunt Dæmones, & damnati, qui operandi modus indicat summam perversionem voluntatis, & ideo secunda ex parte voluntatis est longè deterior primâ, fit enim ex malitia, econtrà prima ex aliquali ignorantia.

Certissimum est, quod tam materialis, quàm formalis, proinde omnes tres idololatriæ modi sint peccata mortalia, eaque gravissima ex his, quæ opponuntur virtutibus moralibus, inferioribus tamen vitij, quæ contrariantur virtutibus Theologicis. Ita Soarez *n. 15.*

Si autem tres præfatæ idololatriæ invicem comparentur, secunda est deterior, quàm prima, quia secunda fit ex certa scientia, secus prima. Rursus secunda est gravior tertîa, tum quia secunda est vera idololatria, tertia est duntaxat simulata: tum quia, quamvis utraque contineat formale mendacium, quia tam secunda, quàm tertia attribuit externè divinam excellentiam illi, in quo non est, secunda tamen superat tertiam, quod secunda formaliter fit in ipso affectu, à quo maximè gravitas dependet, tertia verò præcisè consistat in voluntate

ria externi signi honoris exhibitione citra animum per id signum honorandi.

628. Ex doctrina S. Th. 2. 2. *quest. 92. art. 2. & quest. 95. art. 2.* divinus cultus ordinatur primò non solum ad exhibendam DEO reverentiam recognoscendo in eo solo divinam excellentiam, sed etiam ad aliquid ab eo obtinendum, quod solus ille potest præstare: Reverentiæ primo modo debitæ DEO opponitur species prima superstitionis, quam Soarez *cap. 7.* vocat apertam, & expressam idololatriam hucusque à *num. 628.* explanatam.

Reverentiæ secundo modo debitæ DEO opponitur divinatio, & vera observantia.

Divinatio prout est superstitionis altera species: est *inquisitio cognitionis de aliquo occulto* (sive id sit præteritum, sive præsens à nobis remotum, sive secreta cordium, sive factum occultum, sive futurum contingens) *ope, aut disciplina Dæmonis comparanda.*

Ita Soarez *cap. 7. num. 5.* ratione optima declarans *num. 78.* duplici enim duntaxat viâ potest homo comparare cognitionem, nempe vel per inventionem, vel per disciplinam; cognitio autem de rebus occultis, quæ arte divinatoriâ cognoscuntur, sunt ejusmodi, quarum notitia humanitus inveniri, vel comparari non potest, ergo debet comparari per disciplinam ab aliquo instructore addiscendam, hic nequit esse alius, quam Dæmon.

Contingit divinatio dupliciter; videlicet vel per expressam Dæmonis invocationem, aut explicitum etiam desiderium ope Dæmonis addiscendi aliquid

occultum, sive divinator simpliciter petat à Dæmone, sive huic aliquid promittat, & paciscatur, sive non; sive invocatus Dæmon respondeat, sive non. Invocatio fit multis modis, prout diversimode consultitur, aut consultus respondet expressè, interdum simpliciter, & sine pacto, aliquando cum pacto, ac obligatione instruendi divinatorem de occultis, ipso divinatore se vicissim obligante.

Fit etiam divinatio per tacitam, seu implicitam Dæmonis invocationem, idque fit, quoties quis medijs vanis, & inutilibus, id est, improportionatis serio utitur ad aliquid cognoscendum, aut efficiendum animo adhibendi fidem talibus medijs, & spe obtinendi effectum, quando ea adhibet. Soarez *cap. 9 num. 10.* quod fieri potest, quin præcesserit pactum aliquando explicitum, uti ibi explicat.

Omnes divinationis species tam expressæ, quam tacitæ sunt peccata ex genere suo mortalia, sive enim quis expressè, sive tacitè se subjiciat disciplinæ Dæmonis, ut ab hoc occulta edoceatur, continet gravem DEI contemptum, defertque honorem expressè, aut tacitè Dæmoni: nihilominus quandoque tacita à mortali excusat, ut si non fiat serid, & cum firma fide, sed joci causa. De divinatione disputat S. Th. 2. 2. *qu. 95. art. 3. & seq.*

629. Tertia, superstitionis species, de qua S. Th. *q. 96.* est vana observantia consistens in usurpatione mediorum inutilium, seu improportionatorum ad aliquid efficiendum (puta ad acquirenda temporalia, sanitatem, scientiam &c.) aut

impediendum malum, e. g. ne quis vulneretur. Ea porro media censentur inutilia ad aliquem effectum, ad quem nec à DEO, nec ab Ecclesia, nec à natura instituta sunt. Convenit cum divinatione, quod utraque innitatur pacto expresso, aut tacito cum Dæmone: differt, quod divinatio intendat solum consequi cognitionem rerum humano modo inassequibilem, observantia verò feratur ad obtinendum effectum, e. g. sanitatem, trësque sunt hujus species, nempe ars notoria, observantia sanitatum, & observantia eventuum.

Quoad omnes species est peccatum ex genere suo mortale ob rationem datam de divinatione, simplices tamen sapius excusantur à mortali ratione aut ignorantia non crasse, aut bonæ fidei: putantes nihil mali in ijs contineri. Sanch. *lib. 2. Decal. cap. 40. n. 13.*

630. Respondeo nunc ad quæsitum septimum quod proposui *num. 622.* negativè (nisi superstitione sit malefica, seu ad nocendum proximè ordinata hoc casu additur injustitia) nec est materia explicanda, aut signa v. g. an facta sit per aërem, ignem &c. Ratio; omnium malitia sita est in hoc, quod ope Dæmonis expressè, aut tacitè invocati, seu consulti aliquid aut indagetur, aut compareretur, omnisque superstitione sit aperta, aut tacita idololatria, seu hujus participatio, in moralibus autem expressa aut tacita voluntas, pactum expressum, aut tacitum non variat actus morales in specie morali, sicut professio tacita, & expressa ejusdem speciei sunt. Soarez *cap. 10. num. 1.* Tamb. *lib. 2. Confess. c. 2. §. 5.* Sanch. *lib. 2. Decal. c. 38. n. 14.*

Nihilominus ex alio capite, quia do superstitione fit cum expressa invocatione, est explicandum: an pactum fuerit explicitum, aut implicitum? quia explicitum trahit communiter secum alia peccata specie diversa, ut Apostasiam à fide, expressam idololatriam, abulum Sacrorum, Sacramentorum, blasphemias, coitum cum Dæmone, maleficium, sive magiam ordinatam ad nocendum alijs contra justitiam, idcirco exponi debet. Ita citati Doctores. Unde Sanchez reprobat Victoriam, qui asseruit sufficere, si confitens dicat se fuisse reum superstitionis mortalis.

Addo, de quo mei Doctores silentia expressa idololatriæ genera, de quibus *num. 627.* inter se specie distingui: prima enim species est idololatria vera essentialiter pendens ab infidelitate, secunda, hæc tamen est vera in effectu idololatria, secus tertia, sed est ficta, hæc autem inter se specie morali differunt.

631. Quæres octavò: an circumstantia quid quoad damnum impuretur ponenti causam, & quid ad hoc requiratur? Respondeo ad primum affirmativè sic scandalum prævisum auget malitiam tui dicti, aut facti, ex quo sequitur, & aliquando etiam variat speciem ejusmodi damnum spirituale, ut in turpiloquio est explicandus status audientium cum qualitate materiæ, dum turpia narrantur animo eos excitandi, secus si hic animus absit, quia tunc est scandalum duntaxat indirectum. Lugo de Pœnit. D. 16. *num. 159. & 167.* oppositum est probabile per *num. 72. & 73.* revide copiosius discut-

discussa de scandalo à num. 71. ad 78. & à num. 117. ad 146.

Dices: si scandalum prævisum auget malitiam, sequitur scandalizantem gravius delinquere quàm innocentem occidens; hic enim infert damnum temporale solum; scandalizans autem spirituale, quod est gravius temporali.

Respondeo nego sequelam: quia gravitas peccati non est æstimanda ex solo damno, sed etiam ex modo influendi in damnum; nam dando occasionem scandali permittitur libertas id committendi, homicida autem violenter excipit vitam. Ut ergo, ubi est gravius damnum, sit etiam gravius peccatum, debet esse par modus influendi, & cætera omnia æqualia, proinde etiam par prohibitio.

Hinc reflexè committens veniale non peccat gravius, quàm se occidendo, quia lex prohibens damna venialium moralia non est æqualis legi prohibendi grave damnum physicum.

Respondeo ad secundum in quaest. propositum sufficere ea, quæ requisita sunt à n. 40. ad 78.

De circumstantia ubi.

632. Quæres primò: quid significet in actu morali circumstantia loci, an augeat, aut mutet speciem? Respondeo ad primum significare locum sacrum, aut profanum, publicum, aut privatum, in quo fit peccatum. Peccata publica, id est, facta coram multis, communiter habent annexam malitiam scandali indirecti contra charitatem, quo casu necessario est explicanda circumstan-

tia hæc. Aliquando eadem publicitas multum auget malitiam intra eandem speciem: ut si publice coram multis graviter detrahas, aut calumnieris.

Locus aliquando non est circumstantia, sed dat primam sive substantialem malitiam: ut si celebres in loco profano, aut in templo læerceas sine necessitate copulam conjugalem, aut si ex loco sacro iudex Reum contra Religionem loco debitam extrahat, aut ibi exerceat iudicium: Ratio, quia hi, & similes actus carent alia malitia præter illam, quæ opponitur reverentiæ loci sacri.

Quando autem aliunde actus habet malitiam, locus tunc est circumstantia ejus peccati, datque malitiam specie diversam, ut mox patebit. Per hæc responsum est ad 2. & tertium.

633. Quæres secundò: quæ peccata in Ecclesia commissa à loci sacri circumstantia novam acquirunt speciem malitiæ sacrilegij? Omnia mortalia hanc contrahere necessario explicandam sive sint externa sive interna docuit Joan. Medin. cod. de Pœnit. tr. 2. q. 9.

Verius negat communior cum Lugo de Pœnit. D. 16. n. 465.

Respondeo igitur: non omnia peccata novam specie malitiam sacrilegij inducere ex loco sacro: nam certum est ad discernendam hanc in peccatis malitiam non esse attendendum ad gravitatem peccatorum, quæ in loco sacro committuntur; aliàs odium DEI, & hæresis, utpote gravissima in eo commissa, forent sacrilegia: quod non est verum.

Item omnia verba impudica, & actus inhonesti inter solutos continerent Sacrilegium (quod probabilius non subsistit)

fit) quia omnes illi sunt graviore, quam sit copula conjugalis de se licita, quæ tamen secundum omnes citra necessitatem exercita fit Sacrilegia, Sanch. lib. 9. de Matr, D. 15. n. 4.

Cum quo hic juncto num. 21. Valsq. 1. 2. D. 98. à num. 4. Lug. num. 464.

Respondeo: illa peccata duntaxat sumere gravitatem Sacrilegij ex loco sacro quæ directè adversantur sanctitati, aut immunitati loci quoad ea, ad quæ sanctificatus est ab Ecclesia, atque ea gravitas Sacrilegij potissimum defumitur ex prohibitione Ecclesiæ statuentis per certos actus pollui, id est, profanari Ecclesiam, seu redigi ad illum statum, in quo novè indiget reconciliatione, dummodo fiant cum peccato mortali, Lug: de Evch. D. 20. num. 54. Ecclesia autem locum sacrum destinavit ad celebranda divina, sepeliendos mortuos, ac securitatem illuc confugientium, aut ad securam rerum illic depositarum custodiam.

634. Deduco primo sequentibus actibus graviter profanari Ecclesiam, esseque graviter sacrilegos. Primò sepulturâ non baptizati, etiam infantis seorsim sepulti. Lug. num. 57. aut excommunicati non tolerati in loco sacro, aut extractione personæ gaudentis asylo.

Secundò voluntaria effusione sanguinis notabilis ex gravi vulnere, item notabilis feminis effusione, idem enim denotat vox effusio, Amic. to. 7. de Sacram. D. 33. num. 337. Non ergo sufficiunt pauca guttæ, Lug. cit. num. 55. nec sanguinis profluvium ex levi vulnere: ut, si duo rixantes sibi eliciant copiam san-

guinis, ex percussione nasi, aut auriculæ latione, Lug. de Pœnit. D. 16. num. 468. negans percussione gravem sine effuso sanguine fieri sacrilegam. Si mors sequitur in Ecclesia sine sanguinis effusione e.g. ex contusione pollui Ecclesiam, tradit de Evch. cit. D. 20. num. 53. extendens cum communione contra Soarez, licet mors sequatur extra Ecclesiam, quia tota actio injuriosa est posita in Ecclesia, etsi ante mortem nondum polluta censetur: sicut polluitur vulnere in Ecclesia inflictio, etsi effusio fiat extra illam. Econtra non profanatur ex gravi vulnere inflictio extra Ecclesiam, esto mors sit secuta in Ecclesia: esto autem vulnerans sit extra Ecclesiam, si tamen vulnus inflictum sit in Ecclesia polluitur: ut si existens extra Ecclesiam trajiciat hominem in Ecclesia, Lug. n. 52. quo loco non requirit, ut laedens sit intra Ecclesiam, nec ut laesus in Ecclesia sanguinet in eadem.

Ut Ecclesia polluatur per sepulturam excommunicati non tolerati, nempe denunciati, aut Notorij Clerici percussoris, non requiritur peccatum mortale. Lug. num. 57. at bene, ut censetur profana per voluntariam sanguinis, & feminis effusionem. Idem nu. 55. Profanari autem per copulam conjugalem vera sustinet sententia cum cit. Sanch. quod Jus Canonicum c. fin. de Consecrat. Ecclesia, &c. statuat pollui sine distinctione, ad quod, quia necesse est copulâ conjugale fieri cum peccato mortali, sequitur, si fiat ex necessitate, ut si conjuges essent obsessi diu in Ecclesia, per eorum copulam tunc non pollui. Sanch. num. 12. & num. 13. ubi reprobatur re-

quirentes, ut in alterutro evitetur incontinentiæ periculum: hoc quidem urget, facitque copulam licitam, non tamen est necessarium, sed sufficit, quod communiter addit tale periculum, etsi etiam in particularibus eventibus & conjugibus absit: lex enim attendit ad ea, quæ frequententer contingunt.

635. Deduco tertio: probabilius contrahitur malitia sacrilegij per effusionem sanguinis, aut seminis etiam occultam, Ecclesiæque polluitur, quia censetur postea polluta Ecclesia, si effusio prius occulta evadat publica, ergo tunc esset contra Ecclesiæ prohibitionem, sed contra hanc tempore publicitatis non peccaretur, ergo fuit antecedenter effusio sacrilega. Ita Lug. *de Pœnit. D. 16. n. 462.* Soarez *to. 1. de Relig. lib. 3. c. 7. n. 4.* Sanch. *n. 11. contra Vasq. 1. 2. D. 98. c. 3. n. 6.* Pont. *de Matr. lib. 10. c. 10. n. 15.* non improbabiler arbitantes: non violari locum sacrum, nisi per notoriam effusionem.

Deduco quarto: est vero similior opinio verbis, aspectibus, ac tactibus impudicis etiam inter pudenda in loco sacro exercitis non contrahi mortale sacrilegium Lug. *num. 464.* Sanch. *num. 20. & 21.* contra alios universim damnantes gravis sacrilegij omnes impudicos. Limitant uterque fieri sacrilegos, dum sunt præfati actus cum periculo pollutionis, tunc enim prohibitio Ecclesiæ cadens supra pollutionem etiam comprehendit hujus periculum.

Ratio deductionis est, quod Ecclesia non statuerit profanari Ecclesiam hujusmodi actibus, sed solâ copulâ, &

pollutione, ergo his solùm, & non illis contrahitur sacrilegium.

Econtra Tamb. *lib. 7. Decal. c. 2. §. 1. num. 10.* negat limitationem: quia aliàs etiam turpes cogitationes essent sacrilegæ ex annexo tali periculo, quod tamen ipse Lugo negat. Ratio hujus: quod probabilius sit eum non peccare in legem humanam, qui se exponit proximo periculo illam violandi. Cardenas *Crisis Theolog. D. 39. c. 2.* aditus enim proximi periculi violandi legem humanam nec directè, nec indirectè est prohibitus lege humanâ, non directè, in dubio enim, an lex aliquid præcipiat, aut prohibeat? *juxta C. contra eum de R. I. in 6. est contra eum, qui legem dicere potuit apertius, facienda interpretatio, & L. semper ff. de R. I. semper in obscuris, quod minimum est, sequimur?* atqui dubium est, an lex humana prohibeat aditum periculi proximi, Non etiam indirectè, quia illa duntaxat indirectè præcipiuntur præcepto directè altero, sine quibus hoc physicè consistere non potest, sed potest observari præceptum legis humanæ e. g. de jejunio, &c. etsi non videretur periculum violandi; nam hoc non necessitat physicè ad lapsum. Nunc subsumo, sed malitia violationis Ecclesiæ prohibetur solo præcepto Ecclesiæ Sanch. *num. 4.* cum Valent. Vasq. Ergo.

Respondeo me probabiliter subscribere opinioni Tamburini ob rationem ex Cardenas, quâ usus sum *de Actib. Hum. in tr. de Legib. num. 112.*

636. Amicus *de Matr. D. 26. S. 4.* acriter propugnat malitiam sacrilegij non desumi ex prohibitione Ecclesiæ, sed

sed ex indecentia, quam ipsæ actiones ex se habent cum loci sanctitate: ex quo inferunt tactus impudicos ibi exercitos esse sacrilegos, internos autem nullo maculari sacrilegio, nisi habeant pro objecto circumstantiam loci sacri: ut si quis sive intra sive extra Ecclesiam concipiat desiderium copulam exercendi intra Ecclesiam, secus et si concipiat intra Ecclesiam, dummodo desiderium habeat pro objecto copulam exercendam extra Ecclesiam: disparitas est, quod in secundo casu locus se habeat solum ex parte subjecti, in primo verò se habeat ex parte objecti, seu sit objectum actus. Hoc etiam concedit Lugo *num.* 465.

Amicum quo ad aliquas actiones sequitur Lug. *num.* 467. censens seclusa Ecclesie prohibitionem quasdam actiones graviter opponi reverentiae loco sacro debita: ut si quis publicè in Ecclesia fornicaretur, aut jumenta induceret, aut in Altari Sacro idolo sacrificaret.

Ad hunc sensum vult intelligendos illos Doctores, qui asserunt: reos esse gravis sacrilegij, qui exercent in Ecclesia comœdias lascivas, negotiationes nimis profanas, mercatum publicum. Idem *num.* 466. sentit de omni peccato commisso in Ecclesia, quod contrahat levem irreverentiam sacrilegij contra Religionem.

Respondeo hæc ex Amico, & Lugo, sicut facillè asseruntur, ita negantur jure violari virtutem Religionis seclusa Ecclesie prohibitionem.

637. Quares tertio: quando furtum rei in loco, aut de loco sacro acceptæ acquirat specialem malitiam sacrilegij explicandam necessario? Lugo de

Pœnit. D. 16. num. 470. Ex Th. Zerola in *praxi Pœnit. c.* 12. q. 17. quod, ut res censeatur accepta de loco sacro, non sufficiat rem esse in loco sacro, sed insuper aliquo modo debet pertinere ad locum titulo aut Dominij, aut Custodia, seu depositi, aut commodati.

Respondeo Joannem Papam *C. quis inventus 17. q. 4.* tres species furti ponere, per quas polluitur Ecclesia auferendo sacrum de sacro, e.g. calicem ex illa, vel non sacrum de sacro (per non sacrum hic intelligitur res purè profana) vel sacrum de non sacro, puta consecratum calicem, aut vestes benedictas ad cultum divinum reservatas in loco non sacro: per ly sacrum, dum appellatur res, indicatur quidquid est Ecclesie dedicatum, aut cultui divino deputatum. Per primam, & ultimam speciem furti contrahi sacrilegium concordant Doctores, estque venior sententia apud Lugo *num.* 471. contra Fagundez duplex specie sacrilegium committi furando rem sacram de loco sacro, quia secundum receptam doctrinam S. Th. 2. 2. q. 99. *Art.* 3. tria genera sunt sacrilegij: circa personas sacras, locum sacrum, & rem sacram, quorum quodvis specie differt ab altero, ergo ubi duplex est genus, uti est, dum res sacra tollitur de loco sacro, duplex specie committitur sacrilegium.

Circa secundam speciem furti, quo res non sacra tollitur ex loco sacro, verius est non esse sacrilegium furem, qui crumenam in Ecclesia accipit ex sacro homini, Lug. *num.* 470. contra Soarez Valsq. Valent. quia crumena materialiter se habet, seu per accidens tunc existit in loco sacro, è contra per se, dum illi com-

moda-

modatur in usum, aut pro securitate deponitur.

638. Quares quartò: quid veniat nomine loci sacri ad effectum sacrilegij in peccatis, quæ juxta dicta commissa in loco sacro evadunt sacrilega.

Respondeo primò cum Lug. n. 474. videri certum quoad peccata carnalia, & furta non venire claustra, aut habitationem Regularium, aliàs omnes se ibi poluentes forent sacrilegi.

Respondeo secundò cum eodem de Evch. D. 20. num. 58. etiam non venire oratoria priavata etiam destinata ab Episcopo ad celebrandum, non campanille adhærens Ecclesiæ, non sacristiam, non capacitatem supra tabulatum Ecclesiæ: at bene spatium intra tabulatum, & pavementum illius cum capellis subterraneis, & superioribus, & annexo cæmeterio, proinde polluta Ecclesia polluitur etiam illud, non vicissim; accessorium enim sequitur naturam principalis, non e contra: unde reconciliatâ Ecclesiâ etiam reconciliatur cæmeterium: si plura sint cæmeteria, uno polluto non est pollutum alterum, neutrum enim est alterius accessorium.

Respondeo tertio ad effectum asyli, seu privilegij ne quis extrahi possit ex loco sacro venit tota fabrica etiam tectum, partes exteriores parietum, sacristia, campanille, cæmeterium, monasteria, Hospitalia Authoritate Episcopi erecta.

De Circumstantia quibus Auxilijs.

639. Nominè circumstantiæ quibus auxilijs intelliguntur quævis
R. P. Karch, Diss.

instrumenta, seu media, quibus quis usus est ad actum moralem bonum, aut malum, tam inanimata, quam animata: ut Sclopus, Gladius, Venenum, Sacramenta, res Sacræ, Homines, Dæmones, occasionesque voluntariæ peccandi proximæ: istæ non mutant speciem peccati, sed aggravant, nec fundant peccatum numero distinctum, cujus est periculum, dum hoc aditur, animo peccandi, & ipsam peccatum sequitur e. g. fornicatio: unde tunc non est obligatio exponendi aditum periculi: secus si quis adeat periculum proximum sine causa sufficienti animo non peccandi, at postea ibi constitutus succumbat: tunc enim, cum aditus sit peccatum numero distinctum à postea secuto, oportet utrumque exprimere.

Qualitas instrumenti ordinariè non variat speciem, nisi sit specialiter prohibitum, ut si occidas medio magico, aut rebus Sacris, vel Sacramentis sis abusus ad finem malum obtinendum contra virtutem Religionis.

Si medijs instrumentis animatis exquiras pravam intentionem e. g. hominibus à te inductis tuo Consilio, jussu, exemplo peccas malitiâ novâ scandali directi, aut indirecti, imò relate ad quædam scelera qualitas personæ inductæ est explicanda: ut si inducas personam sacram, conjugatam, &c. ad actum turpem.

Unde à fortiori explicanda est circumstantia Dæmonis, si quis expressè, aut tacitè auxilio ejus utitur ad mali executionem, additur enim species superstitionis.

P p p

De

De Circumstantia cur.

640. **P**er circumstantiam cur importatur causa finalis non operis, sed operantis. Finis operis est, ad quem velut ad suum objectum formale motivum actus naturâ suâ ordinatur: sic motivum propriû Eleemosynæ videlicet observantia miseria pauperis est finis operis, sive actus Eleemosynæ, solétque etiam dici finis intrinsecus operis ad contradistinctionem finis extrinseci, seu extrinsecus adsciti ab arbitrio operantis; ut si des Eleemosynam ob vanam gloriam, hæc est finis operantis, id est, ab operante præfixus operi suo, nempe actui externæ dationis Eleemosynæ; vanæ enim gloriæ est prorsus extrinseca dationi Eleemosynæ, esto sit finis intrinsecus respectu intentionis intendentis vanam gloriam, & ad hujus consecutionem assumens Eleemosynam ut medium.

Et ideo respectu intentionis non est circumstantia, sed substantia: est tamen circumstantia respectu Eleemosynæ. Et universaliter quoties medium de se est malum, toties malitia orta ex fine malo est circumstantia explicanda, si sit mortalis, ut si fureris propter fornicationem.

Ut autem clarius in hac circumstantia ejus effectus pateat, notandum, quod septem modis possit comparari intentio finis ad electionem mediorum.

641. Primò si medium bonum eligatur propter finem bonum, hoc casu, si utriusque est directè volita, actus habet duplicem bonitatem, *per n. 569.*

Secundò si eligatur medium malum ex fine malo, ut si occidas ex intentione acquirendi bona occisi: tunc duplex spe-

cie malitia contrahitur: si media electa sint ex se ordinata ad talem finem, ut tactus impudici ad fornicationem, electio eorum constituit unum numero peccatum cum intentione finis juxta superius dicta.

Tertiò si eligatur medium bonum ex fine malo, hoc casu electio depravatur, si hoc assumitur propter finem talem, velut causam motivam; quia tunc intentio prava influit in mediij electionem, hæcque malitia finis vitiat, juvatque ad hujus existentiam, proinde est explicanda.

Quartò si eligatur medium malum ex fine bono ut furtum propter Eleemosynam, aut ommissio missæ præceptæ propter studium, electio est simpliciter mala *per num. 573.*

Quintò si actus indifferens fiat propter finem bonum ut si comedas, ut obis DEO servire, electio est simpliciter bona spectans ad virtutem Religionis.

Sextò si eligas medium indifferens ex fine malo v. g. deambulationem propter furandum, deambulatio est mala simpliciter spectans ad vitium, quo est infecta intentio finis.

Septimò si actus indifferens ordinetur ad finem indifferentem, tam intentio, quam electio per se. Est vitiosa spectatis omnibus circumstantiis. Similiter *per num. 578.* verius est esse impossibilem actum moralem indifferentem, qui neque sit bonus, neque malus moraliter.

Illud hic non prætermittendum, quod intentio finis boni sæpe excuset à peccato in legibus positivis harum violationem: ut si pauperi non possit succurrere aliter,

aliter, quàm labore peragendo die Festo, aut sacrum negligendo.

642. Controvertitur tamen: an dum medium malum eligitur ob finem bonum e. g. omiffio sacri propter studium sit explicandus in confessione etiam finis, nempe studium, vel sola omiffio. Apud Lug. de Pœnit. D. 16. n. 478. aliqui affirmant, quia tunc studium est contra virtutem Studiositatis, est enim peccatum studere tali tempore.

Distinguit Soarez de Pœnit. D. 22. S. 4. num. 11. negans: si intenditur finis ex quadam libertate, vel facilitate; affirmans verò, quando finis, ut hic studium ex affectu vehementer inordinato intenditur, tunc enim in eo constituitur finis ultimus, amorque studij præfertur Deo, sicque est nova species peccati mortalis.

Respondeo cum Lug. num. 479. & communiore non esse explicandum finem ex communi praxi fidelium præcisè se accusantium omissionis missæ nullâ factâ mentione finis de se non mali, aut non mali mortaliter.

Unde perinde est furari in morali assimatione propter studium, ac furari propter finem furto intrinsicum e. g. propter ipsam commoditatem habendi rem alienam. Ratio est: quod adæquata maliciæ gravitas hic desumatur ab omissione missæ, ergo hæc sola est explicanda, quâ explicatâ explicatur indirectè voluntas omittendi, & cum non soleat omitti missâ, nisi, vel propter aliquod malum apprehensum in auditione missæ, vel propter amorem alicujus creaturæ, ideo hic inordinatus amor sui, aut alte-

rius creaturæ etiam indirectè manifestatur.

Studium, ac voluntas studendi tempore sacri non est mala malitia proveniente à Studiositate; nam hæc tunc studium non prohibet, sed Religio præcipiendo missam verat etiam omne impedimentum missæ, consequenter in casu nostro studium, hoc igitur tunc habet malitiam irreligiositatis. Etiam non est verum, quod studium intendatur ut finis simpliciter ultimus, ex eo enim, quod omittat sacrum propter studium, non sequitur, quod velit etiam propter idem violare reliqua præcepta, e. g. fidem negare. Est ergo duntaxat finis ultimus secundum quid, seu finis operis, sed ex hoc non sequitur, quod habeat malitiam distinctam à malitia omissionis.

A fortiori concludit Lug. num. 488. non est obligatio explicandi talem finem, quando hic, ut in casu proposito studium, se habet concomitanter ad omissionem: ut si jam decrevit negligere missam, postea, ne sit otiosus, vult studere; sic enim studium non est impedimentum volitum ut finis omissionis missæ, non enim ideo omittit missam, quia studet, sed potius e contra ideo studet, quia omittit missam, estque omiffio missæ prior studio, quod Deus suppositâ seriâ voluntate mittendi missam potest percipere; aut omittens potest vovere studium ex fine vitandi otiositatem.

643. Dices: si is, qui seriò decrevit missam omittere, postea studendo non peccet, sequitur etiam non peccare primò Sacerdotem (qui tempore toto navigationis statuit omittere officium divinum) si suppositâ hac voluntate breviam-

rim in mare projiciat. Secundo nec furem, qui habet animum non restituendi pecuniam, peccare hanc dilapidando, & se reddendo, impotentem restituendi. Tertio, nec voto castitatis obstrictum, si post hoc decrevit ejus inobservantiam, delinquere, si ducat uxorem, hæc omnia sunt absurda, ergo signum est, hæc & similia impossibilia ex se cum re præcepta, esse peccata etiam datâ voluntate non implendi præceptum.

Respondeo cum Lug. *num.* 491. negando omnes tres sequelas: quia etsi respectu violationis præcepti pro tempore præsentis se habeat concomitanter voluntas abjiciendi breviorij &c. quia pro tempore præsentis est impossibilis præcepti observantia ex vi seriatim voluntatis non recitandi; at respectu temporis sequentis se habet antecedenter, & ut vera causa, nam prima voluntas non necessitat ad præcepti violationem pro tempore sequenti cum mutari possit, atque adeo observatio præcepti pro tempore sequenti est possibilis, & ideo objectio breviorij, absumptio furtivæ pecuniæ, matrimonium sunt mala, utpote voluntariè reddentia impossibilem præcepti observantiam.

De Circumstantia quomodo.

644. **Q**uæres: quid hæc circumstantia significat? an augeat, aut novam speciem actui morali superinducat.

Respondeo ad primum significare modum actionis humanæ, quo facta est videlicet actus intensionem, remissionem, tarditatem, velocitatem, libertatem, coactionem, violentiam, fraudem, in-

fidias, errorem, ignorantiam, consuetudinem, intentionem, periculum, scandalum, contemptum, continuationem, sive durationem.

Respondeo ad secundum intensionem, & remissio non mutat speciem actus boni, vel mali, sed prior augeat, posterior minuit, nisi sit actus tam remissus, ut excludat perfectam deliberationem; tunc enim mortale transit in veniale, idem est de libertate per *num.* 592. Velocitas, & tarditas non diversificat actum.

De errore, & ignorantia vincibilis an minuat, vel augeat, aut mutet speciem consulenda sunt disputata à *n.* 440. ad 445. An voluntarium directum, ac indirectum in peccatis internis efficiat speciem diversam, satis potest constare ex *num.* 442. & seq. juncto. *n.* 585.

Consuetudo peccandi non mutat speciem, sed potius minuit minuendo libertatem, ita communis: at bene proximum periculum ex se malum ut notoria cum concubina cohabitatio realis, aut etiam putativa propter annexum scandalum: aliàs exponens se periculo proximo labendi non incurrit culpam distinctam à lapsu, si inter hunc, & periculum non intercedit notabilis mora, voluntas enim adeundi proximum periculum sine causa urgente est voluntas indirecta peccati Lug. *de Penit. D.* 16. *n.* 511.

645. Continuatio indicat, aut repetitionem actuum ejusdem speciei, aut durationem ejus actus longiorem: ista non variat substantiam actus: hic tamen si est bonus, est laudabiliter, ac magis meritorius, si malus est amplius demeritorius.

Hinc

Hinc secundum multos circumstantia temporis notabilis, quo perseverat actus malus est explicanda, utpote notabiliter aggravans malitiam: opinio hæc procedit in sententia Soarez, & aliorum obligantium ad confitendas circumstantias notabiliter aggravantes. Imò secundum omnes debet explicari duratio, quando aliter nequit ferri iudicium de interruptione, ac multiplicatione actuum numerica.

Repetitio actuum mortalium ejusdem rationis non variat speciem, sæpe tamen multiplicat numerum peccatorum exprimentum, uti fit, quando actus moraliter interruptitur, aut dum unus actus nequit moraliter uniri cum altero: ut si ex eodem actu libidinis cum eadem repetas copulam, aut cum distinctis forniceris, aut plures successive percutias &c.

Repetitio venialium nunquam evadit mortalis, si eorum materia non coalescit in unum, secus si coalescit, ut fit in furtis parvis frequentatis, labore modico die festo sæpe iterato, parvis comestionibus die jejuniis repetitis; in violatione penitentiae parvæ per complures dies impositæ, aut voti quinque Pater & Ave per singulos dies recitandi, dum Penitentia, & votum non est alligatum diei, seu cum die non cessat obligatio: si executio est diei alligata, seu dies præfixa ut terminus obligationis, tunc non evadet omissio mortalis per neglectum parvæ penitentiae, aut rei promissæ quia tunc omissio hujus non complet cum præcedentibus materiam gravem, prout contingit in furtis parvis, quorum illud fit mortale, cujus materia secundum se levis, prioribus addita fit notabilis.

646. Intentio variat speciem ratione finis præfixi morralis per *num. 641.* Item ratio scandalii, de quo egi à *n. 71.*

Nomine contemptus intelligitur vilipensio rei, aut personæ.

Ut sit peccatum debet esse inordinata, ac opposita æstimatione, quam meretur res, aut persona. Est materialis, aut formalis: materialis est, quando res, aut persona vilipenditur sine directa intentione parvipendendi, seu deprimendi; id contingit in omni violatione legis: formalis est, quando ista postpositio directe intenditur: ut si violes præceptum, vel consilium, aliudve agas, ut præcipiens, aut consulens parvi fiat, sive quod idem est, dum ideo peccas, quia renuis subijci superiori aut legi. Formalis contemptus non est speciale peccatum virtuti speciali oppositum; si enim contemnitur DEUS, ejus præceptum aut consilium est contra Religionem, si superior tuus, est contra observantiam illi debitam, si pater, est contra pietatem, si alia persona, eam minus æstimando, quàm par est, opponitur justitiæ.

Ex contemptus duplicis expositione liquidum est quod contemptus formalis fit modus specie mortali diversificans peccatum.

Violentia circa rem, vel personam alienam addit speciem rapinæ in furto, in fornicatione cum virgine stuprum, in violententer abducta raptum.

In copula modus innaturalis servato vase debito non est mortalis uti probabilior fert sententia cum Sanch. *lib. 9. de Matr. D. 16.* per totum, sive fiat à tergo, sive à l'erc, sive stando, sive sedendo, non enim opponitur principali fini

matrimonij, cum non impediatur generatio, estque raro periculum effusionis extra vas, & esto aliqualis fiat effusio non tamen sequitur situm hunc esse mortalem: matrix enim solet parum feminis retinere, nempe tantum, quantum sufficit ad generationem expulso reliquo.

Modus occidendi ut si occisum membratim discerpas, aut cor extrahas, adjicis speciem feritatis.

Fraus, & dolus in contractibus superaddit speciem injustitiæ, irritatque contractum, quando est circa substantiam.

De Circumstantia quando.

647. **H**æc circumstantia indicat brevitate, aut diuturnitatem, aut qualitatem temporis sacri, vel non sacri. De diuturnitate dictum est n. 945. de duratione, quam aliqui revocant ad circumstantiam quando.

Qualitas temporis constituit quædam peccata per se, & principaliter: ut die festo non audire missam, laborare serviliter, non jejunare certis diebus, non confiteri, & non communicare tempore statuto, celebrare divina tempore interdicti. Verum sic non est circumstantia actus peccaminosi sed per se primò constituit, ac transit in objectum, per tradita à num. 592. Unde etiam è contrario est actus specialiter honestus intuitu temporis sacri seu ob honorem mysterij eo die celebrati missæ interesse, & vicissim est actus specialiter oppositus Religioni actus malus exercitus animo inhonorandi Sacrum tempus.

Extra hos casus est communior veniorque opinio, quod circumstantia temporis sacri etiam solemnissimi non ag-

gravel notabiliter malitiam actus mali etiam atrocis, minus mutat speciem contra aliquos. Ratio: quod ex natura rei nulla appareat specialis, aut notabilis irreverentia; disparitas enim magna est inter locum sacrum, & tempus sacrum, hoc enim utpote successivum non est capax consecrationis, capax verò est locus.

Idcirco tempus per accidens dicitur sacrum ratione mysterij, quod celebratur, aut sacrarum operationum, quæ exercentur.

Hinc plurimorum opinio, quod vitia carnis diebus sollemioribus, confessionis & communionis commissa contineant peculiarem malitiam saltem aggravantem, ac in confessione explicandum. Est magis pia, quam solida, alias sacerdotes celebrantes in mortalibus tenerentur fateri circumstantiam temporis celebrationis, quod non subsistit. *Lug. de Pœnit. D. 16. num. 523.* contra aliquos.

Fatetur nihilominus, & cum eo Herinx *D. 3. num. 76.* quædam peccata exercita die Veneris sancto specialem continere irreverentiam contra Religionem, ut si quis ludos publicos prout fieri solet in Bachanalibus institueret, & si quis statim post Evcharistiam sumptam fornicaretur: si enim Ecclesia agnoscat gravem irreverentiam erga Sacramentum Pœnitentiæ in sollicitatione ad turpia facta proximè post confessionem, cur non erit etiam gravis irreverentia erga Evcharistiam? si quis immediatè post eam accedat ad concubinam: sicut autem non omnia mortalia sunt graviter contra locum sacrum, ita nec omnia contra sumptam Evcharistiam.

ARTICULUS IV.

DE

Actibus moralibus, & meritorijs.

648. **D**E fide est contra Lutherum, & Calvinum hominem viatorem posse cooperari gratiæ divinæ ad comparandam sibi salutem æternam ex illo Sap. 5. *Fusti in perpe-*

uum vivent, & apud DEUM est merces eorum: & Mat. h. 5. Merces copiosa est apud DEUM. Id ipsum definivit Trid. Sess. 6. c. 32.



§. I.

Quid, est Quotuplex sit meritum?

Dico primo, meritum ut sic est opus cedens in honorem, sive in obsequium alterius ex se potens illum movere ad id munere aliquo compensandum. Unde meritum materialiter sumptum est ipsum opus: sumptum verò formaliter, sive pro forma, quæ denominat id meritorium, eique dat valorem, est ipsa bonitas operis de se inductiva voluntatis alterius ad illud compensandum aliquo munere. Ratio, quod nullum opus sit dignum remuneratione, nisi cedat in obsequium, bonumque retribuente.

dicitur naturale, si sit viribus naturæ elevatis per gratiam, vocatur supernaturale: quando opus æquat valorem præmij, est meritum condignum si verò valor ejus sit inferior valore præmij est meritum congruum.

Dico tertio: meritum supernaturale condignum est, quod est æquale præmio supernaturali, hoc vocatur meritum ex justitia ab illis Doctoribus qui conveniunt, quod DEUS suppositi suæ promissione de compensandis bonis operibus, teneatur ex justitia rigorosa, sive commutativa conferre promissum præmium, & contra Doctores asserentes DEUM non posse obligari creaturæ ex stricta justitiâ, ajunt: DEUM teneri duntaxat ex fidelitate,

tate,

tate, & iustitia providentiali, vi ejus DEUS ut providus gubernator providet creaturæ rationali de cunctis bonis illi proportionatis citra jus Creaturæ inexistentis ad ejusmodi bona, aut ex iustitia distributiva præmiorum secundum mensuram meritorum sine obligatione servandi proportionem præmij cum merito, ab hac enim obligatione DEUS titulo supremi Dominij est exemptus per tradita in *Dissert. de jure & just. à num. 18.* contra alios.

Dico quartò: meritum supernaturale congruum est actus supernaturalis cedens in honorem DEI potens eundem

move ad id compensandum aliquo munere excedente valorem meriti, atque adeo vis motiva hujus non potest esse exactiva retributionis, prout eam exigit meritum condignum: sic actus charitatis, aut contritionis perfectæ in peccatore meretur duntaxat de congruo gratiam sanctificantem, id est, inest illi quædam congruitas, & decencia ad hoc præmium, non tamen exigit gratiam: similiter iusti congruè merentur gratiam finalem, quæ eam exigant. Ratio horum omnium est communis Doctorum sensus,



§. II.

De Differentia meriti à Satisfactione, impetratione, & dispositione morali,

650. **M**ultum in hac quæstione immiseri de voce notat cum alicuius Izquierdo de DEO. D. 42. à num. 69. sæpe à Concilijs, & Patribus impetratio sumitur pro merito congruo, ac etiam pro dispositione morali: nam contritio est dispositio morali ad justificationem, & hujus meritoria de congruo, quæ tamen etiam est impetratoria juxta Trid. Sess. 14. cap. 4. *Fuit autem, ait, tempore quavis ad impetrandam peccatorum veniam hic contritionis motus necessarius, & Aug. Epist. 105. dicit: Nec ipsa peccatorum remissio sine aliquo merito est, si fides hanc impetret.*

Meritum quæ tale respicit præmium sibi, aut alteri conferendum: est contra dispositio morali ut talis est tantum quædam adaptatio subjecti ad gratiã velut formam, aut ad munus aliud: nihilominus dispositio supernaturalis positiva exigitiva formæ nunquam est separabilis à merito congruo, quo sensu est vera opinio Suarez docentis; moralem dispositionem non distingui à congruo merito; si enim actus supernaturalis titulo adaptationis subjecti exigit formam sanctificantem, potiore jure exigit illam titulo honestatis, à quo procedit ea subjecti aptitudo exigentia: non est juridico (id est tanta, cui DEUS ex stricta iustitia deberet fati-

face-

facere, si capax esset tantæ obligationis) qualis inest soli merito condigno, sed longæ inferior, cui DEUS non satisfaciendo nullam faceret injuriam etiam dato, quod capax esset strictæ justitiæ. Et ideo potius merito de congruo, quàm condigno tribuitur nomen impetrationis: sicut enim rei petitiæ impetratio tota potius innititur libertati exaudientis petitionem, ita meritum congruum potius ex libertate præmiantis, quàm ob intrinsecam honestatem consequitur præmium.

652. Etsi quodvis opus supernaturale honestum prout alliciens voluntatem divinam sit impetratorium, stricta tamen impetratio convenit soli orationi, seu petitioni, ac obsecrationi. Ita S. Th. 1. 2. *quest. 114. art. 9. ad 1.* expressè distinguit meritum ab impetratione: inest enim petitioni specialis efficacia diversa à ratione obsequij ad impetrandam rem petitam, uti in humanis docet experientia, ubi dantur petita nullâ habitâ ratione obsequij. Unde Luc. 11. propter petentis importunitatem proximus surrexit, deditque panes petitos, ubi preces non erant obsequiosæ.

Satisfactio distinguitur in eo à merito, quod illa strictè sumpta, dum est æqualis injuriæ illatæ offenso, sit obsequium independenter ab acceptatione offensi æque placens offenso, ac huic displicuit injuria personalis, hanc in genere causæ formalis extinguat: è contra

meritum non formaliter, sed in genere causæ efficientis moralis causet præmium, idque non sine divina acceptatione.

Dixi *strictè sumpta*, nam satisfactio in lato sensu accepta pro pœna est ipsa satisfactio, id est, tolerantia pœnalitatis inflictæ à judice in pœnam delicti, hæc extinguit dignitatem pœnæ, uti quævis solutio debitum. Demum strictissime est voluntaria castigatio, & vindicta culpæ, quam habet opus pœnale, à Reo in se ipso gerente personam judicis, & Rei assumptum rationabiliter movens Judicem, ut sit contentus istâ punitione. Hinc Trid. *Sess. 14. c. 8.* monet Confessarios, ut Satisfactio pœnitenti imponenda *non sit tantum ad nova vitæ custodiam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.*

Quodvis opus honestum prout DEO obsequiosum est meritorium, prout flectens, seu alliciens ejus voluntatem est impetratorium, prout onerosum operanti est satisfactorium, quæ tria cadunt etiam in orationem. Izquierdo cit. cum communi Oviedo 1. 2. *tract. 9. Contr. 2. num. 89.* addit defacto in Beatis distingui impetrationem à merito; nam eorum orationes nobis impetrant, quin mereantur non defectu proportionis, sed extrinsecæ ordinationis divinæ statuentis præmium solis acti-

bus viatorum.





§. III.

De aequalitate, & condignitate meriti ad præmium.

653. **V**ariae sunt sententiæ ad materiam hujus paragraphi,

Nam apud Ripald. *de ente supernaturali D. 16. S. 1.* plures Thomistæ nullam de Potentia absoluta requirunt in operibus condignitatem ad præmium.

Secunda Scotistarum apud Vasq. citandum *cap. 1.* negat operibus iustarum in se spectatis ullam inesse vim merendi, sed totam ponit in promissione, & pacto DEI.

Tertia opinio multorum apud Vasq. *cap. 3.* docet condignitatem meriti cum præmio etiam vitæ æternæ coalescere partim ex bonitate morali ipsorum operum, partim ex ordinatione divina acceptante; ita ut sine hac nequeat esse completum meritum, censeatur verò condigne completum per acceptationem operis honesti etiam entitativè naturalis. Fatentur tamen: apud Pont. *curs Theol. D. 36. num. 61.* defacto secundum fidem nullum actum esse meritorium, qui non procedit ex actuali gratia, esto hæc non sit necessaria ad tribuendum valorem.

Quarta opinio Vasq. *1. 2. D. 214. cap. 10. & 11.* contendit ad condignitatem meriti requiri æqualitatem hujus arithmeticam cum præmio, quæ æqualitas uti monet *num. 81.* non pensanda est pœnes ea, quæ formaliter sunt in actu meritorio, & præmio, sicut æqualitas

peccati, & pœnæ non taxatur secundum delectationem, quæ inest peccato, & dolorem, qui inest formaliter pœnæ, sed secundum mensuram malitiæ operis; ita mensura condignitatis operis boni cum remuneratione nascitur ex natura, & bonitate operationis, atque ex dignitate personæ operantis. Comparat autem *cit. num. 81.* iustorum opera, & passiones, quæ in se exiguæ quidem videntur, semini, quod licet in se sit parvum, virtute tamen, & efficacitate continet magnam copiam fructûs.

Concedit *num. 7.* operibus iustorum accessisse divinam promissionem, at negat eam pertinere ad rationem meriti, sed huic advenire non tantum jam digno, sed etiam jam meritorio, ut tamen infalibilibiter sequatur præmium necessaria fuit promissio Divina: nam sine hac DEUS nullatenus obligatur remunerari nostra merita: hæc obligatio non in justitia stricta DEI erga creaturas, sed in promissione fidelitatis fundatur.

Ita Vasq. *D. 215. cap. 1. num. 3.* qui cit. *D. 214. num. 76.* reprobat eos, qui inter acceptationem divinam, & promissionem distinguunt: quod acceptatio videatur posterior opere meritorio, & ideo nihil conferat ad operis dignitatem; promissio verò antecedit opus ipsum, et que ut fundamento innitatur, & ad mo-
calem

ralem dignitatem conducatur. Ratio reprobandi est, quod promissio & acceptatio divina conditionata, sit quidem antecedens, absoluta tamen utraque est posterior operibus, nam sub his velut conditione promittit DEUS, & accepit illa ad premium.

Quinta opinio communior cum Ripald. à num. 19. tueretur opera supernaturalia justorum non arithmetice, sed proportionaliter solum, ac geometricè adæquare premium. Aequalitas porro arithmetica sive rei ad rem consistit in hoc, quod opus secundum se ex parte operantis pensatum seorsim ab omni circumstantia tenente se ex parte præmiantis (quales sunt hujus majestas, liberalitas, misericordia, opes &c.) valet tantum, quantum est premium eo modo, quo labor mercenarij absolute æstimatus tantus est, quantus est valor mercedis, aut premium datum pro mercibus.

Dixi seorsim ab omni circumstantia, ex parte præmiantis, quia æstimabilitas meriti non fundatur in sola bonitate operis moralis, sed etiam in dignitate operantis, proinde in dignitate operis participatæ à dignitate operantis.

Æqualitas verò geometrica, seu proportionalis sita est, vel in eo, quod opus secundum se se junctum à circumstantijs merentis, & præmiantis est inferius magnitudine præmij, huic tamen evadit æquale ex proportionem ad circumstantias tum merentis, tum præmiantis. Unde æqualitas geometrica est variabilis pro variatione circumstantiarum præmiantis nullâ factâ variatione in opere; sic idem opus in occasione eadem à diversis præmiantum, non præmiatur ad æqualitatem

munere eodem à diversis Principibus collato: munus enim à Principe fortunæ mediocris tenaci datum, etsi prudentum æstimatione censeatur æquare valorem meriti, secus tamen collatum à Principe opulento ac liberali.

654. Dico primò: condignitas meriti nequit esse adæquate extrinseca merito, contra authores primæ, & secundæ sententiæ num. 653. Ratio: quia si vis tota merendi penderet ab acceptatione divina, sicut hæc est purè gratiosa, ita remuneratio operum esset mera gratia, ac liberalis donatio, non verò retributio.

Dico secundò: condignitatem meriti non coalescere partim ex ipsa morali honestate meriti, partim ex divina ordinatione acceptante contra tertiam sententiam probatur ex Arausiano can. 7. *si quis, inquit, per naturæ vigorem bonum aliquod ad salutem pertinens vitæ æternæ cogitare, eligere, sive Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, heretico fallitur Spiritu: & can. 18. debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur præcedit, ut fiant.* Trid. Sess. 6. cap. 16. ait *opera justorum sine gratia nullo pacto DEO grata, meritoria esse possunt.* Ratio est vel operibus naturalibus correspondet pars aliqua præmij, vel nulla: si nulla, collatio doni supernaturalis non erit premium, sed pura donatio: si correspondet, ergo pars præmij supernaturalis cadit sub meritum naturale, quod est Pelagianum.

655. Dico Tertiò: opera supernaturalia justorum sunt æqualia premio supernaturali vitæ æternæ æqualitate geometricâ, secus arithmetica, seu rei ad

rem, declarata num. 653. *Vers. quinta opinio.*

Pars prima, de æqualitate est S. Th. 1. 2. *quest. 114. art. 3. in Corp.* negante condignitatem operi considerato secundum substantiam operis libere procedentis ab arbitrio propter maximam inæqualitatem, concedente verò eandem condignitatem operi considerato secundum quod procedit à gratia Spiritus S. moventis nos in vitam æternam. Ratio est: quod hæreditas vitæ æternæ, licet excedat statum servitutis puræ, in quo est homo destitutus gratia sanctificante, non tamen excedit statum filiorum DEI, in quo per gratiam constituuntur iusti, ergo opera iustorum possunt esse æqualia præmio vitæ æternæ.

Pars secunda, de æqualitate proportionali, seu geometrica probatur ex S. Th. art. 1. *Manifestum est inquit quod inter DEUM, & hominem merentem est maxime inæqualitas, in infinitum enim distans, & totum, quod est hominis bonum, est à DEO, unde non potest hominis à DEO esse iustitia secundum absolutam æqualitatem.*

Pars tertia: quod non sint æqualia arithmetice contra Vasq. probatur ex 8. *ad Rom. Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam.* ergo opera iustorum non sunt æqualia condignitate rei ad rem.

Ratio totius conclusionis est: vita æterna est majoris valoris, quam sit opus iusti sumptum cum gratia habituali dignificante seclusis circumstantiis præmiantis DEI, nam augmentum gratiæ habitualis, quod tribuitur operi iusti, est æqualis valoris cum gratia dignificante opus, ergo

opus etiam ut dignificatum à gratia seclusis circumstantiis præmiantis est penitus inæquale vitæ æternæ, sive DEO per visionem possidendo: etsi enim visio, seu modus possidendi DEUM sit finitus, videtur tamen esse bonum in morali estimatione infinitum; sicut licet unio hypostatica sit finita, humanitas tamen moraliter participat bonum infinitum, ergo ut meritum adæquet bonum vitæ æternæ, debet aliunde participare æqualitatem, nempe à circumstantiis præmiantis, videlicet à liberalitate, misericordia, excellentia &c. DEI, his enim spectatis cum reliquis se tenentibus ex parte merentis, meritum iusti habet omnino æqualitatem proportionis cum præmio vitæ æternæ, prout in terminis expressit D. Th. in 2. *Dist. 27. art. 3. in Corp. Secundum inquit, æqualitatem proportionis, et condigno meremur vitam æternam, attenditur enim æqualitas proportionis, quando equaliter se hoc habet ad illud, sicut aliud ad alterum, non autem majus est DEO vitam æternam tribuere, quam nobis virtutis actum exhibere.*

656. Dico quartò: ut meritum condignum funder jus infallibile, sive strictè, sive latè sumptum ad præmium, est necessaria promissio divina, atque adeo hæc intrinsecè constituit meritum ut infallibiliter connexum cum præmio. Ita Soarez *lib. 12. de Justif. à cap. 17.* Ratio, quia si iustus absque divina promissione haberet jus infallibile ad præmium, hoc non esset misericorditer promissum, sed vita æterna est misericorditer promissa per Trid. *S. 6. c. 16.*

Ab ea tamen promissione operi merito

ritorio nulla accrescit proportio, & dignitas ad primum, sed eam habet ex natura rei hoc ipso, quod procedat, ex gratia independenter ab omni ordinatione DEI extrinseca, sine acceptatione ejusdem operis ad primum. Hæc assertio est tam Soarez quàm Vasq. contra primam, secundam, & tertiam sententiam num. 653. probatur: si antecedenter ad promissionem non foret tota condignitas meriti ad primum, peccator defacto per contritionem condignè mereretur justificationem, ac remissionem peccati mortalis, nam contritio seclusa promissione DEI meretur illam de congruo, ergo cum defacto sit promissa contritioni justificatio, hanc condignè meretur, si ex promissione merito accrescat proportio, quod est omnino falsum.

Hinc sequitur, quod antecedenter ad promissionem meritum in actu primo habeat æqualem proportionalem condignitatem cum primum. Ita Soarez & Vasq. nisi quod hic stet pro condignitate arithmetica. Ratio sequela est, quod actum condignè mereri primum in actu primo proximo antecedenter ad promissionem sit valorem meriti ex se esse inductivum voluntatis divinæ ad premiandum, sed hoc habent opera justorum ex se, & non ex promissione, ut proxime est probatum.

Ut autem sint condignè meritoria in actu secundo necesse est, aut prius fuisse promissum primum, aut acceptatum à


DEO, quia nullus effectus ponitur sine voluntate Dei, sed merita condignè mereri in actu secundo important effectum, nempe actualem premiij causalitatem, ergo hæc non ponitur sine voluntate DEI: hæc nequit esse alia, quàm vel promissio antecedens meritum, aut eà seclusa subsequens acceptatio.

657. Ex quibus consequens est, quod condignitas, seu æqualitas meriti cum primum non constituatur etiam partialiter per promissionem, aut acceptationem DEI: neutra enim dat sufficientiam ad movendum premiandam, sed solum dat efficaciam, id est, infallibilem causalitatem actualem proinde duntaxat requiritur, ut pars intrinseca ad meritum ut causans in actu secundo, vel etiam ut in actu primo efficax sit.

Patet etiam cur merita Christi, licet sint simpliciter infiniti valoris in actu primo, in actu tamen secundo sint duntaxat finita, quia DEUS non promissit illis nisi finitum primum.

Demum discrimen inter meritum condignum, & congruum consistit in hoc, quod condignum æquet primum sive adsit, sive absit promissio divina: congruum verò est illud, quod in valore est infra primum etiam tunc, dum adest promissio DEI acceptantis id ad primum excedens, prout defacto DEUS

acceptavit actum Charitatis aut contritionis ad justificationem.





§. IV.

De conditionibus ad merendum requisitis ex parte actûs meritorij.

658. **D**ico primò: ad meritum requiritur, ut sit actus simpliciter bonus, secùs ut sit actus superogationis, seu consilij, imò si est præceptus, est magis meritorius.

Ratio primi, quod nullus actus dignus maledictione mereatur, omnis autem actus, nisi sit simpliciter bonus, est maledictione dignus ex illo Jerem. 48. *Maledictus homo, qui facit opus DEI negligenter.*

Ratio secundi, quod actui præcepto sit etiam promissa in mercedem vita æterna Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Ratio tertij, actus quo melior, eo etiam est magis meritorius, opus autem præceptum cæteris paribus est melius opere consilij, habet enim præter propriam honestatem etiam honestatem obedientie. Hinc idem opus factum ex voto est magis meritorium. Circa partem primam conclusionis adverte eam esse intelligendam de bonitate actui intrinseca, nam actum intrinsecè bonum posse extrinsecè vitari ostendi n. 564. & seqq.

659. Dico secundo ad meritum esse necessarium libertatem à coactione, & necessitate. Conclusio quoad primam partem est omnium ac de fide, uti etiam

quoad partem secundam contra Jansenistas. Probationes hujus reperies à num. 452. usque ad 458. Confirmatur: ad meritum requiritur opus quod sit obsequium alteri, ac liberaliter impensum in honorem ejusdem per num. 648. ad hoc autem est necessaria libertas, quod enim sit necessario, non potest esse obsequium liberaliter impensum, consequenter nec dignum remuneratione.

Hæc libertas debet esse perfecta, seu dependere ab advertentia perfecta, idque non solum, ut cadat in præmium gratia habitualis, & vita æterna, sed etiam gratia actualis juxta n. 534.

Amplia ut nec de congruo possimus mereri primam gratiam sine plena libertate, ita certum esse credit Ovied. 1. 2. tract. 9. Contr. 2. p. 1. num. 5. Eadem libertas requiritur ad conversionem peccatoris, quæ est necessaria ad averfionem à DEO, sed ad hanc est necessaria libertas plena, si enim ad mortale sufficeret imperfecta, status naturæ lapsæ esset admodum periculosus. Major probatur ex Trid. Sess. 6. cap. 5. *Ut inquit, qui per peccata à DEO averfi sunt &c. eidem gratia libere assentiendo dispensantur.*

Cæterum fatetur cit. Ovied. num. 9. potuisse ordinari à DEO actus supernaturales.

rales semiplenè liberos ad præmium vitæ æternæ, quia etiam sic facti habent honestatem aequaliter imputabilem, consequenter congruentiam aliquam ad præmium ejusmodi.

660. Multum controvertitur an actus à voluntate elicitus, & ab eadem efficaciter absoluto, & determinato imperio imperatus reineat libertatem formalem, & immediatam, consequenter, an sit meritorius? Hic nomine Imperij venit actus voluntatis, quo voluntas se ipsam mover, & determinat ad actum imperatum exequendum. Pro decisione.

Supponendum primò, cum Izquierdo de DEO. D. 30. num. 600. & communiori contra Vasq. quod voluntas possit imperare suos actus.

Supponendum secundò, Imperium esse duplex efficax, & inefficax: efficax est illud, quod ex vi sui conatus est inseparabile ab actu imperato: ex vi, inquam, sui conatus, quia non tollit efficaciam, si aliunde separetur ab actu imperato, ut si DEUS denegat concursum, ad actum imperatum (quidquid dicat citatus Izquierd. num. 607. distinguens inter imperium de actu eliciendo tempore præsentis, & propositum de eliciendo in futuro, de hoc concedit posse effectivè efficax, etsi effectivè fiat inefficax, secùs de primò) aut, ut sæpe accidit, si quis efficaciter affectivè velit id, quod in re est impossibile. Inefficax est, quod ex vi affectus, & conatus non connectitur cum actu imperato.

Rursum est aliud determinatum, idque absolutum, aliud vagum, seu disjunctum. Absolutum determinatum tendit in objectum determinatum quoad

substantiam solùm, aut etiam determinatum, quoad modum, ut si imperet e. g. actum misericordiæ cum suis circumstantijs; si verò imperet sine circumstantijs, erit determinatum duntaxat quoad substantiam. Vagum est, quod imperat vagè actum e. g. justitiæ, aut misericordiæ, si imperet actum sub ratione generica v. g. honestum opus, dicitur imperium confusum.

Item est directum, aut indirectum, si directè imperat actum e. g. misericordiæ, dicitur directum; si indirectè imperet aliud, ex cujus volitione determinetur ad ponendum actum misericordiæ, dicitur indirectum, ut si directè intendat finem, ad cujus existentiam est determinatè necessarius actus misericordiæ.

Quæstio controversa procedit de Imperio determinato directo: In qua controversia supponitur imperium se tenere ex parte actus primi proximi contra aliquos apud Joan. Marin. de Alib. Hum. D. 5. num. 30. negantes, qui putant se habere concomitanter determinativè ad actum eo modo, quo aliqui censent actionem non esse priorem effectui, sed concomitanter determinare effectum ad existentiam. Utrum autem imperij influxus in actum imperatum sit physicus, aut moralis, jam decidi *nu. 496.* esse morale.

Duplex est sententia extremè opposita: una negans auferri immediatam libertatem. Ita Conink D. 3. de bonit. & malit. Muniessa de Gratia D. 25. S. 8. altera affirmans cum Izquierd. num. 626.

661. Respondeo actum efficaciter determinatè, & absolutè imperatum non esse

esse immediatè liberum, proinde nec meritorium, probatur: ut actus voluntatis elicitus sit formaliter, & immediatè liber, debet immediatè subsequi signum libertatis actus primi, sed actus imperatus non immediatè subsequitur signum libertatis actus primi, ergo actus imperatus non est formaliter, & immediatè liber. Major est ex terminis nota. Minor probatur, tunc actus imperatus non immediatè subsequitur signum libertatis actus primi, quando inter signum libertatis actus primi, & actum imperatum mediat ordine causalitatis actus efficax imperans, sed mediat, nam uti proxime præmissi, imperium se tenet ex parte actus primi relatè ad actum imperatum.

Resp. noster Pater Vincent. Ramirez: licet voluntas creata immediatè libertate influat in imperium suum, non sequitur, quod unà cum imperio nequeat immediatè libere concurrere in actum imperatum; sicut, quamvis DEI omnipotentia immediatè efficiat voluntatem nostram, non impeditur, quò minus immediatè cõficiat cum voluntate hujus operationes,

Actus igitur imperatus dupliciter potest considerari respectu voluntatis, nempe quod ab hac procedat immediatè, & mediatè; mediatè quatenus voluntas immediatè efficit imperium, quàm actum imperatum: immediatè verò quatenus voluntas simul cum imperio ponit actum imperatum; sic enim nihil mediat inter voluntatem sumptam cum imperio, & inter actum imperatum: sicut in allata instantia operationes voluntatis ab omnipotentia procedunt mediatè, & immediatè: immediatè, quatenus omnipotentia

cum voluntate immediatè efficit illas, mediatè verò quatenus omnipotentia ante operationes causat voluntatem.

Contra est, quod sit magna disparitas: omnipotentia enim etiam ut conjuncta voluntati creata retinet virtutem proximam ad omnes effectus: è contra nec voluntas nostra, nec DEUS retinet virtutem mediatè, & simul immediatè liberè ponendi actum imperatum, voluntas enim ut juncta imperio non est immediatè libertas respectu actus imperati, quia voluntas ut conjuncta imperio est determinatè connexa cum actu imperato, ergo ut conjuncta non est in signo immediatè libertatis ad actum imperatum; si quidem immediatè libertas non est compatibilis cum determinato nexu pro eodem signo respectu actus imperati. Ut ergo voluntas queat immediatè liberè ponere actum, debet in esse actus primi liberi constitui per carentiam determinatè imperij efficacis.

Unde est impossibile, ut voluntas pro eodem signo naturæ sit voluntas in actu primo proximo ad actum imperij, & ad actum imperatum.

662. Dico tertio; nullum actum, nisi sit in substantia, seu intrinsecè supernaturalis, posse etiam de congruo esse meritorium præmij supernaturalis. Ita Maurus *lib. 6. quest. 92. num. 24.* Ovidio *controver. 3. p. 1.* Est contra multos.

Primò contra Pelag. docentem actus honestos viribus naturæ elicitos condignè mereri vitam æternam. Eum secuti sunt semipelagiani quoad solum initium justificationis, hoc enim attribuebant alicui actui naturali meritorio; incertum tamen est

est testis Oviedo, utrum istud initium fuerit aliquis actus naturalis de congruo, aut etiam condignè meritorius? ideo autem negabant necessitatem gratiæ supernaturalis ad initium justificationis, quia credebant à gratia tolli libertatem.

Secundò est contra Scotistas asserentes: quod actus naturales elicit à iusto, vel mediante auxilio gratiæ supernaturalis sint meritorij præmij supernaturalis, alterutrum enim est necessarium in hac providentiâ, ut salventur Concilia & Patres, divinitus autem, & in alia providentiâ dicunt naturalem actuum honestatem citra ipsarum exigentiam posse à DEO extrinsecè ordinari ad præmium supernaturale, ac evadere condignè hujus meritorios; ita ut condignitas eorum coalescat partim ex ordinatione divina extrinsecà illis, partim ex ipsorum naturali honestate, prout relatum in tertia opinione *num. 653.*

Tertiò contra Vasq. *1. 2. D. 217. à cap. 2.* & alibi affirmantem: omnia opera bona iustorum esse meritoria vitæ æternæ, licet sint in substantia, seu in entitate naturalia; ait tamen esse supernaturalia quoad modum, quatenus omnia dependent à cogitatione congrua in Entitate quidem naturali, at naturæ indebita, proinde supernaturali quoad modum. Hanc gratiam contendit esse veram, & simpliciter gratiam Christi à concilijs, & Patribus contra Palag. requisitam ad præmium supernaturale.

Quartò contra Soarez *lib. 12. de Grat. cap. 11. num. 22. Rhodes D. 4. quest. 2. S. 2. §. 2.* non exigentes determinatè intrinsecam supernaturalitatem,
R. P. Karch, Diff.

sed indeterminatè, nempe hanc, aut extrinsecam actui meritorio: unde actus imperati intrinsecè naturales per actum supernaturalem evadunt meritorij præmij supernaturalis non solum denominativè, ac extrinsecè, seu quatenus imperans actus est meritorius, sed ipsi imperati addunt imperanti actui novum meritum præmij supernaturalis.

663. Contra hos omnes probatur assertio: nullus potest etiam de congruo mereri, prout oportet ad salutem, sine illuminatione, & inspiratione S. Spiritus juxta Concilia, & Patres contra Pelag. sed hæc illuminatio, ac inspiratio debet esse in substantia supernaturalis: si enim Concilia, & Patres possent exponi de dono speciali Entitativè naturali, ad nullos actus meritorios, ac ultimo disponentes ad justificationem, opus esset gratiâ actuali in substantia naturali, nam cum nobis non constet, nisi ex modo loquendi Conciliorum, & Patrum, necessitas gratiæ, si hæc Entitativè supernaturalis non sit necessaria ad præmium salutis pro omni eventu sufficere ad meritum saltem congruum gratiæ actualis Entitativè naturalis, quod etiam Adversarij negant. Confirmatur. Quia omnia præmia sunt bona, & sancta, nullus actus potest esse illi etiam de congruo proportionatus, nisi sit bonus, & sanctus, ergo nec potest esse ullus actus proportionatus etiam de congruo præmio supernaturali, nisi sit intrinsecè supernaturalis.

Inferes primo, nullum actum naturalem honestum posse à DEO acceptari ad præmium supernaturale, actus enim ex se non habens vim indu-

cendi præmiantem ad remunerandum, nequit vim movendi acquirere ab acceptatione; nihil enim actui extrinsecum potest huic conferre, ut habeat ex se vim movendi, ut autem meritum moveat debet habere ex se vim movendi per *num. 648. & 654.*

Inferes secundò, nullum opus naturale imperatum ab actu supernaturali ex fine supernaturali augere meritum actûs imperantis contra Soarez. quia ut augeat, debet evadere ex se meritorius, sed non evadit, ut probatum est, & confirmatur à paritate actûs externi, qui etiam secundum Soarez *cap. 6. num. 6.* contra Scot. per hoc quod impèretur ab actu interno supernaturali, non evadit ex se sed solum extrinsecè, ac denominativè meritorius, quin augeat meritum.

Inferes tertio, opera iusti naturalia honesta à dignitate, seu gratia habituali ejusdem non evadere meritoria de condigno præmij supernaturalis, aut de congruo ab ullo alio principio supernaturali. Soarez *cap. 10. à num. 15.* contra Vasq.

Ratio: quod de essentia meriti sit, quod sit radix, fundamentumque exigens præmium, nisi enim ex se habeat aliqualem vim ad præmium, nulla sequi potest remuneratio, sed pura liberalis donatio per *num. 654.* Dignitas merentis non exigit ullum præmium, nisi hæc exigatur à merito; quia dignitas merentis nempe gratia habitualis non est laude digna, ac libera, sed facit, ut supposita aliquali exigentiâ alicujus præmij in opere, illud ipsum præmium sit operi debitum, ejusque condignè meritorium.

664. Dico quartò: ad opus de condigno meritorium necessaria est gra-

tia habitualis, secùs ad meritum de congruo.

Ratio primi, quod meritum condignum esse debeat gratum, & acceptum præmianti, quale esse non potest, nisi sit opus amici, præsertim ut sit meritum condignum gloriæ, aliàs si peccator posset mereri condigne gloriam, is simul esset dignus gloriâ æternâ, & simul pœnitæ inferni.

Ratio secundi, quod ad meritum congruum sufficiat aliqualis proportio inter meritum, ac præmium; tale autem elici potest etiam à peccatore elevato per auxilium supernaturale ad eliciendum actum honestum supernaturalem, unde defacto omnis dispositio supernaturalis ad justificationem est meritoria de congruo per *n. 650. & 657.*

665. Dico quintò: ad merendum requiritur aliqua arduitas, non est tamen necessaria arduitas nata ex repugnantia partis inferioris ad superiorem, sed ad essentiam meriti sufficit arduitas orta ab excellentia operis. Maurus *lib. 6. quest. 95.* contra Haunold. *lib. 2. tract. 3. cap. 3. contr. 6.* Ante probationem distinguenda est duplex arduitas operis meritorij cum S. Th. *1. p. quest. 62. art. 2. ad 2.* Prima consistit in ipsa operis excellentia utpote excedens vires naturæ. Secunda oritur ex repugnantia partis inferioris vehementer allecctæ aliquo commodo contrario id relinquendam honestatem virtutis impossibilem cum tali commoda præsentis, aut futuro sperato, vel fugientis opus virtutis ob annexum laborem, dolorem, aut incommodum aliud temporale: proposita sic ex parte una virtutis honestate ad se attrahente, ex altera vero parte

parte proposito in commodo virtuti annexo, oritur pugna inter appetitum sensitivum, & rationalem, evaditque opus difficile, ac arduum operanti. Hanc secundam arduitate ad essentiam meriti poscit opinio Haunoldi, nostra verò putat sufficere primam.

Ratio primi, colligitur ex scrip. Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: & 2. Timoth. 2. Nemo coronatur, nisi qui legitime cortaverit.* & 1. ad Cor. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Ratio secundi, ex sensu communi Theologorum: quod Angeli in via sibi meruerint beatitudinem supernaturalem, ac eandem potuisset condignè mereri homo in statu innocentie, si durasset, sed nec illorum, nec hujus operis boni arduitas consistebat in repugnantia parvis inferioris ad superiorem, nullum siquidem commodum naturale fuit Angelis propositum fortiter eos retrahens à conversione ad DEUM, nec in statu Innocentie quidquam hominem vehementer revocans à bono honesto. Est hæc mens aperta S. Th. qu. 26. de Veritate art. 6. ad 12. *duplex, inquit, est difficultas: una qua est ex magnitudine facti, & ejus bonitate, & hac difficultas requiritur ad virtutem. Alia, qua est ex parte agentis, in quantum est deficiens, vel impediens circa rectas operationes, & hanc difficultatem, vel tollit, vel minuit virtus, & sic pas-*

iones difficultatem faciant. Prima difficultas, qua est ex parte facti, per se facit ad meritum, sicut bonitas actus: secunda verò, qua est ex infirmitate operantis, non facit ad meritum, nisi forte occasionaliter, in quantum est occasio majoris conatus. Non est autem verum, quod Adam in primo statu non potuerit mereri, quamvis nihil impelleret ad malum.

Ratio tertij constat ex textu recitato D. Th. & 1. p. qu. 62. [art. 2. ad 2. expresse tradentis Angelo esse meritum difficile propter hoc solum, quod sit supernaturale, & art. 4. objicit sibi: *meritum est ex difficultate operis.* Respondet ad primum: *dicendum, quod difficultas bene operandi non est in Angelis ex aliqua contrarietate, vel impedimento naturalis virtutis, sed ex hoc, quod opus aliquod bonum est supra virtutem natura.*

666. Dico sextò: juxta communio-riorem, ac verio-riorem opinionem actus debet esse positivus, ut sit meritorius præmij supernaturalis contra Ripalda de Ente supernaturali: Ratio quia per n. 662. ad meritum præmij supernaturalis est necessaria supernaturalitas ei intrinsicæ, sed talis potest inesse soli actui positivo, ejusque author principalis est DEUS, pura omis- sio utpote nihil non potest esse supernaturalis intrinsicè, nihilominus opinio Ripaldæ non est improbabilis per n. 549.

* *





§. V.

*Quibus actibus virtutum possimus mereri condignè
vitam aeternam?*

667. **V**idetur dicendum, quod solus actus charitatis, scilicet actus quantumvis supernaturales ceterarum virtutum, nisi à charitate imperantur ex doctrina S. Th. *qu. 114. art. 4. in Corp.* Et ideo, inquit, meritum vitæ aeternæ primario pertinet ad Charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod eorum actus à charitate imperantur.

Et 1. p. *qu. 95. art. 4. in Corp.* meritum vitæ aeternæ seu fruitionis DEI docet primo, & per se pertinere ad charitatem ad ceteras verò virtutes pertinere præmium accidentale situm juxta S. Th. in gaudio de bono creato. Ratio etiam est, quod opera justorum non sint meritoria vitæ aeternæ, nisi relata ad DEUM velut finem ultimum, sed ceterarum virtutum opera non referuntur in DEUM ut in finem ultimum, nisi imperata à charitate, idque procedit etiam de fide, & spe, quia etsi respiciant DEUM ut objectum supernaturale motivum, non tamen respiciunt illum, ut finem ultimum.

Ob hæc sententia prima, est Scoti, quem ex Societatis Doctoribus sequitur Tanner, hic *qu. 6. num. 89.* Bellarm. &c.

Secunda, attribuit vim condignè

merendi gloriam, proinde præmium etiam essentiale omni operi elicito à justo etsi non referatur in DEUM. Ita Vasq. 1. 2. *D. 217. à cap. 2.* & communior fundans se in scrip. Concilij, & ratione: Matth. 27. vita aeterna retribuitur operibus moralibus justorum, *esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* & sæpe operibus misericordiæ promittit DEUS vitam aeternam, idcirco vehementer commendatur eleemosyna, ut Tobiz 12. ubi liberat à morte, & Danielis 4. redemit peccata. Hinc Apost. 1. ad Cor. 15. adhortatur fideles, ut in omni opere bono abundant, *scientes inquit, quod labor vester non est inanis in Domino.*

Secundò, Trid. *S. 6. cap. 16. & can. 32.* non requirit ad opus vitæ aeternæ meritorium, nisi, ut fiat à justo ex peculiari auxilio, ac influxu Christi Capitis, ac indefinite docet justos bonis operibus per gratiam DEI, & JESU Christi merita factis promereri augmentum gratiæ, & vitam aeternam.

Tertiò, ratione probatur: omnia opera Justorum, sunt opera filiorum adoptivorum, sicut omnia opera Christi sunt opera Filij DEI, sed hujus omnia opera fuerunt condignè meritoria, etiam illa, quæ procedebant à moralibus virtutibus

tibus acquisitis, ergo etiam omnia opera virtutum tam Theologicarum, quam moralium, tam infusarum, quam acquisitarum supernaturalium in filijs adoptivis, seu in iustis sunt condignè meritoria.

Tertia opinio concordat cum secunda quoad opera moralia virtutum infusarum, quoad opera virtutum acquisitarum adhæret primæ, nempe nos ijs non mereri, nisi ut imperatis à charitate. Ita Soarez *lib. 12. de Merito cap. 9. & 10.* Coninck *de Merito D. 8. dub. 4. conclus. 4. & 5.* Pro decisione controversiæ.

668. Multipliciter potest opus meritorium referri in DEUM primo interpretative, ut si homo ita est dispositus, ut rogatus, an opus faceret propter DEUM responderet, quod ita: hæc relatio nihil conducit ad opus præsens, cum affectus ille actu non sit, sed esset.

Secundo, habitualiter habitualitate charitatis: defacto cum habitus charitatis sit inseparabilis à gratia habituali, sicut sine hac, ita sine habitu Charitatis nullum opus est condignè meritorium.

Tertia, habitualiter habitualitate actûs præteriti, quatenus per hunc nunc nec in se, nec in effectu existentem de præterito ordinavit omnia in DEUM e. g. mane obtulit opera totius diei DEO ut fini supernaturali.

Quartò, formaliter, seu per actum expressum v. g. hoc facio propter DEUM.

Quintò, virtualiter, hoc est, per actum charitatis præteritum nunc remanentem in sua virtute seu in aliquo effectu suo: ut si vis ex intentione charitatis proximo succurrere, ex hoc actu accin-

gis te ad iter, ut eleemosynam eroges, huius erogatio, etsi fiat à te immemore DEI, est actus relatus in DEUM virtualiter à charitate actuali.

Respondeo omnia opera iustorum supernaturalia virtutum etiam moralium non solùm infusarum, sed etiam acquisitarum ex frequentatis actibus supernaturalibus (hos enim physice producere, & generare habitus acquisitos supernaturales facilitantes ad eliciendos similes actus supernaturales suppono ex veriore sententia pluries per decursum Theologiæ defensa cum Mauro *lib. 13. quest. 235.* Arriag. *1. 2. D. 32. num. 4.* contra Ripald. *de Ente supernaturali D. 52. n. 6.* Soarez: Vasq.) habere vim condignè merendi gloriam.

Probatio huius est sufficienter allata in secunda opinione, eamque confirmo ex absurdo contra primam, quod aliàs paucissima iustorum opera forent condignè meritoria, si hæc procederent à Charitate, quia plerique homines aut negotijs impliciti, aut simplices vix sciunt sua opera in DEUM referre, ergo influxus charitatis in ea non est necessarius; & sic ruit ratio, quæ utitur prima sententia.

669. Ad S. Th. fatetur Vasq. *nu. 9.* cum inclinare in primam sententiam. Non satisfaciunt Granadus, & Oviedo exponentes de Charitate habituali, nempe quod nisi sint opera habentis habitum charitatis non mereantur condignè, quia hæc interpretatio est apertè contraria contextui, cum expresse requirat Angelicus Doctor ut imperentur à charitate.

Melius responderet Soarez *cap. 10. num. 6.* quod S. Th. alibi teneat nobiscum

scum: & quidem (apud Amic. hic D. 35. num. 127.) qu. 2. de Mal. art. 5. ad 7. in fine aperte sentit omnem actum habentis charitatem, aut esse meritorium, aut demeritorium.

Quod Apostolus dicit: *omnia in gloriam DEI facite*, non præcipit, sed consulit. Item alibi illam solam fidem valere *que operatur per charitatem*, significat non operari salutem, nisi excitando, & dirigendo opera, quæ debent elici aut ex motivo, quod sit consentaneum charitati, aut à charitate habituali annexa gratiæ dignificanti illa.

Hinc cum plurima attributa divina sint naturalia, id est, cognitione naturali cognoscibilia, ut bonitas, misericordia, sapientia, omnipotentia, voluntas &c. ut actus e.g. amoris DEI elicitus propter aliquid ex his attributis sit supernaturalis, necessaria, est fides divina supernaturalis illud proponens, tunc enim jam motivum *formale quo* applicans motivum formale *quod* est in substantia supernaturale, hoc autem sufficit, ut actus elicitus sit supernaturalis.

Unde cum omnium virtutum moralium objectum formale motivum *quod* sit naturale, videlicet honestas moralis cuiusvis virtuti propria, quam honestatem cum sæpè Scriptura proponat, id est, sit revelata à DEO, ut virtutes morales ex suis motivis eliciant actus supernaturales, necesse est, ut fides supernaturalis pro-

ponat illarum honestatem, hæcque sic proposita moveat: quo casu motivum *quod* est honestas naturalis, motivum *quo* est ipsa fides. Nomine motivi *quod* intelligitur illud, quod cognitum determinat, seu est ipsa ratio tenens se ex parte objecti mediâ sui cognitione alliciens potentiam ad actum eliciendum. Objectum autem formale *quo* est ipsa cognitio proponens objectum formale *quod*, hocque reddens potentiæ intellectivæ, & volitivæ præsens.

Ut formale *quo* moveat, non debet præcognosci, sicut enim cognitio est formalis ratio cognoscendi alterum, esto ipsa non cognoscatur, ita est ratio movendi; licet reflexè non representetur.

Idem objectum motivum *ut quo* pro diversitate motivi *ut quo*. seu cognitionis illud applicantis movet ad actus specie diversos: sic DEUS per cognitionem naturalem abstractivè cognitus potest determinare ad amorem sui naturalem, cognitus per fidem ad amorem supernaturalem; cognitus intuitivè ad amorem beatificum. Hinc objectum formale motivum *quod* virtutum moralium, si formale *quo*, seu cognitio naturalis id proponat, movet ad actum moralem naturalem, si formale *quo* seu cognitio est supernaturalis, nempe fides, movet ad actum moralem supernaturalem.





S. VI.

An ad rationem meriti sit neccessè nostram voluntatem conformari Divinae?

670. **V**oluntas divina ex S. Th. 1. p. 2. q. 19. art. 11. & 12. communiter recepta est duplex: una signi, altera beneplaciti: hæc realiter inest DEO, eaque prosequitur aliquod bonum, aut aliquod malum averfatur. Voluntas signi est illa, quæ realiter non est in DEO, sed est effectus aliquis creatus, non quod DEUS per illum effectum significet se interne habere voluntatem (sic enim signum illud foret falsum) sed quia effectus ex voluntate procedens dicitur voluntas eo modo, quo punitio DEI nos castigantis est signum voluntatis irascentis, qualem tamen non habet DEUS. Ejusmodi voluntas indicatur sæpè in prophetijs comminatorijs, in præcepto dato Abrahamo de occisione filij, quam tamen DEUS saltem efficaciter non voluit, voluit tamen efficaciter ut Abrahamus concipiat ferium a nimum Filium DEO immolandi.

Rectè monet Izquierdo *de DEO* D. 34. num. 143. cum voluntate signi semper adesse voluntatem beneplaciti, quæ DEUS causat ipsum signum (esto non detur voluntas quam signum indicat) sic causavit in Abrahamo heroicam illam resolutionem, ac sibi in ea complacuit.

Voluntas nostra cum divina potest

se conformare tripliciter juxta D. Th. 1. 2. q. 19. art. 10. primò volendo id, quod DEUS cupit nos velle; sic se Abraham in casu immolandi filij conformavit divinæ voluntati, hæc etsi voluerit occisionem filij, voluit tamen ut Abraham habeat voluntatem occidendi. Hanc voluntatem apud Vasq. 1. 2. D. 72. num. 1. solent appellare in genere causæ efficientis: cupit autem nos aliquid velle DEUS, vel approbando, vel consulendo, vel precipiendo. Secundò in volito materiali, volendo idem objectum, quod vult DEUS; hæc conformitas dicitur in genere causæ materialis, seu ex parte materiæ circa quam. Tertiò, in volito formali, seu in ratione volendi, ut dum id, quod volumus, volumus propter eandem rationem, seu eundem finem, propter quem vult DEUS: hæc conformitas vocatur in genere causæ finalis.

Conveniunt omnes teste Vasq. num. 10. nos non obligari, ut nos conformemus divinæ voluntati in re volita, ut positivè de ea gaudeamus, sed sufficit de voluntate DEI non tristari.

Videndum igitur est, an liceat oppositum velle voluntate vel efficaci conando ad illud, vel simplici, nempe tristando de eo, seu displicendo in illo, quod DEUS vult? Porro noster affectus potest com-

parari cum divina voluntate, vel antecedente, vel concomitante, vel consequente.

671. Qæres primò: an, quando DEUS decrevit efficaciter aliquid fieri sine concursu nostri liberi arbitrij in nobis, aut in alijs, supposita talis decreti notitiâ, nostra voluntas debeat conformari divinæ in re voluta, ut non possimus sine peccato velle efficaciter oppositum, seu conari ad oppositum, aut orato postulare oppositum.

Respondeo affirmativè cum Vasq. num. 11. Ratio est: quia talis conatus est stultus, irrationabilis, ac impius utpote intendens, quantum est de se, DEUM facere mutabilem, quod est grandis impietas.

Dixi *suppositâ notitiâ*, quia hæc seclusâ licitus est conatus in oppositum: sic conamur licitè declinare morbos per medicinas, occurrere flagellis DEI &c. quia non constat, quod velit DEUS voluntate absolutâ, ut similia patiamur, sed præsumere possumus, quòd sub conditione si precibus, & pœnitentia non averterimus.

Amplia primò, responsum, nos non posse licitè conari ad oppositum illi, quod DEUS voluntate absoluta consequente, seu occasione acceptâ ex creaturis statuit, qualiter est decreta mors corporalis, mortuorum resurrectio, pœna æterna. Herinx D. 3. unde non possumus velle, ut nunquam quis moriatur, possumus tamen remedijs velle retardare illam, nisi constet DEUM velle sine ullo remedio cum mori Vasq. n. 15.

Amplia secundò, ad voluntatem

DEI antecedentem præceptivam operum dependentium ex nostra libertate.

Ratio: quin talis voluntas antecedens divina nos obligat ad volendum, id quod præcipit, sed conari ad id, quod opponitur voluntati divinæ præcipienti est peccatum utpote contra rectam rationem. Dixi *præceptivam*, nam voluntati consultivæ, seu Consilij Evangelicis non tenemur nos conformare positive.

672. Quæres secundò: an licite possimus resistere voluntati divinæ concomitanti nostrum consensum, qualis voluntas est illa, quam habet nobiscum cooperando.

Respondeo affirmativè cum Vasq. num. 12. quia, inquit, voluntas DEI efficax circa opera nostra libera non est antecedens, seu non prævenit nostram, sed hanc comitatur relicta nobis libertate in utramque partem, & ideo nulla fit irreverentia DEO, in quamcunque partem conemur, dummodo simus conformes voluntati antecedenti præceptivæ: & nisi foret licitum resistere voluntati comitanti sciens ex revelatione futurum suum peccatum, non posset licite illud conari evitare; proinde Divus Petrus peccasset, si fuisset conatus Christum non negare, siquidem DEUS habuit voluntatem, concomitantem, qua decreverat concursum ad substantiam actûs negantis Christum.

Hinc deducitur eum, cui revelata esset damnatio adhuc posse, imò teneri impedire suam damnationem conando rectè vivere usque ad finem vitæ, quia damnatio non est futura ex solo decreto DEI antecedente, sed ex consequente, nempe supposito peccato ex nostra libertate

rate futuro, quam tenemur retrahere à peccato. Vasquez *num.* 16.

Nihilominus eo in casu esset illicita petitio auxilij efficacis usque ad vitæ finem, quia petens conaretur decretum DEI efficacem frustrari, Vasq. addens *n.* 18. revelationes de propria, aut aliena damnatione ut plurimum esse comminatorias, non absolutas eâ intentione factas, ut meri sententiæ fiat conversio: & tunc est licitum petere auxilium præveniens etiam efficacem. Hactenus dicta procedunt de nostra voluntate efficaci, & conatu ad se conformandum divinæ voluntati. Restat dicendum de affectu, seu voluntate simplici, & inefficaci.

673. Quæres igitur tertio, an sit necesse, ut nos per affectum simplicem conformemus divinæ voluntati in voluto materiali, seu in re, quam ipse facit, proinde quidquid ipsi placet, etiam nos affectu simplici approbemus?

Respondeo negativè cum Vasq. *c.* 4. *num.* 18. Ratio quia conformitas nostræ voluntatis cum divinâ solum petit, ne adversetur illa huic; sed etsi non placeat id nostræ voluntati, quod divinæ placet, nostra non adversatur, si nostra tristeretur sub una ratione de re à DEO volita sub ratione diversa, ut si displiceat nobis se-rehitas aut pluvia, aut alia mala, quia nobis noxia, DEO autem placeant propter rationem justitiæ, finemve alium, ut enim sibi adversentur voluntas DEI, & nostra, debent ferri in idem sub eadem ratione, seu motivo: patet id in Christo, cui mors displicebat sua, quæ tamen placebat voluntati divinæ, videlicet sub diversa ratione.

674. Quæres quarto: an necesse sit

R. P. Karh. Diss.

ad conformitatem voluntatis nostræ cum divinâ, ut nos conformemus in voluto formali, hoc est, ut ex eodem fine, ob quem ipse vult, etiam nos velimus?

Respondeo nostram voluntatem se debere conformare divinæ in voluto formali non positivè, sed negativè, id est, ut nobis non displiceat ordo divinæ providentiæ, ob quem vult res fieri.

Ita Vasq. *num.* 20. Ratio primi: quod secluso præcepto sufficiat operari ex quovis motivo bono. Ratio secundi: quod ordo divinæ providentiæ sapientissimè constitutus sit, ergo displicentia de eo est contra rectam rationem. Unde Vasq. dum D. Augustinus dicit, impium esse, cui displicet divina providentia, ait esse intelligendum non dere, quæ fit à DEO providentiâ suâ, sed de ordine, propter quem eam facit.

His non obstantibus laudabile est, ut nos voluntati divinæ conformemus tam in voluto formali, quam materiali, hæcque conformatio nunquam potest esse mala, dummodo idem, & ob eandem rationem velimus, quod vult DEUS; idemque ac sub eadem ratione nobis placeat. Ita Vasq. *num.* 25.

Dices ergo Judæi non peccassent desiderando mortem Christi, si desiderassent ob redemptionem generis humani, sic enim fuissent conformes in objecto materiali, quod erat mors Christi à DEO volita, & in objecto formali.

Respondeo cum Vasq. *num.* 26. negando consequentiam. Ad probationem nego fore conformes in objecto materiali, materiale enim à Deo volitum fuit, ut Christus patienter toleret mortem, secus ut ipsi Deo eam inferrét, hoc enim fuit peccatū.

Sss

§. VII.

§. VII.

An merita nostra augeantur ex matutina Intentione ea ordinante ad DEI Gloriam, aut ex unione cum meritis Christi, DEUSque ea ultra condignum remuneretur?

675. **Q**uaeres primò : an generalis intentio, quâ quis mane offert omnia sui opera diurna ad gloriam DEI, seu quod ex hujus amore, proinde propter bonitatem divinam velit singula fieri, faciat ea magis meritoria? Respondeo negativè nisi relictæ species ab intentione præterita excitatæ interdum renouent intentionem in subsequis operationibus. Ita Haunold. *lib. 2. Theolog. Scholast. tract. 3. à n. 908.* probatur pars prima : opera divina sunt aut externi actus, aut interni, hique, vel ex objecto indifferentes, vel boni; sed vi intentionis matutinæ eisdem extrinsecè nihil accrescit meriti; non externis, nam per hos non augeri meritum actûs interni ei imperantis monstravi *n. 574.* Non internis indifferentibus, hi enim ex proprio objecto nullam habent honestatē, atq; adeò nec vim merendi juxta *n. 577. & seqq.* intentio matutina ijs prævia imutare non potest objectum formale iisdem essentialē, ergo nec dare illis meritum ali-quod distinctum ab intentione : etiam interni ex motivo proprio honesti non evadunt magis meritorij, nam manet invari-atum eorum objectum formale, sive fiant ex prævia intentione, sive non, ergo eti-am manet eorundem honestas, ac vis me-rendi invariata,

Pars secunda probatur : ejusmodi præ-terita intentio in relictis à se speciebus perfe-berat virtualiter, hæc excitatæ iterant inten-

tionem, quæ cum augeat meritum, & sit annexa operibus (imò ea imperat consistit enim in hoc, aut simili actu : *Volo hoc opus exequi prout mane proposui ad gloriam Dei*) eatenis talia opera evadunt magis meritoria non ex se, nisi denomi-nativè, sive extrinsecè, nempe titulo ac occasione iteratæ intentionis.

676. Quæres secundò . an merita justorum ultra condignitatem propriam, & nativam acceptam à propria honestate, ac statu gratiæ evadant digniora ex meritis Christi, atque adeo majus mereantur præ-mium gloriæ etiam essentialē, quam mere-rentur dignificata à gratia data independenter à meritis Christi? affirmant non pauci apud Vasq. *1. 2. D. 214. c. 7.* quos sequitur Soarez *lib. 12. de merito cap. 19.* Coninck *lib. de Act. supernaturalibus D. 8. de merito dub. 3.* Amic. *D. 35. à n. 27.* cujus ratio hæc est : quod ipsa merita nostra ex statu gratiæ ea dignificantis sint à Christo Patri æterno oblata, ut majorem dignitatem, & valorem acciperent, prout satis clare indicat Trid. *S. 14. c. 8.* loquens de Christo *in quo inquit vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri & per illum acceptantur à patre.*

Confirmatur : opera nostra per obla-tionem Christi, & dignificationem ex gra-tia data intuitu meritorum Christi per my-
sticam

sticam unionem cum Christo velut cum capite, continentur moraliter opera Christi, hoc ipso autem sunt digniora obsequia, quam essent seclusa oblatione.

Confirmatur secundò, juxta cit. Trid. S. 6. c. 16. & can. 32. homo justus tamquam membrum corporis mystici est moraliter conjunctus cum Christo capite justorum, ergo Christus illis sic conjunctis per moralem unionem communicat aliquè valorem operibus, sicut mulier nobilis per matrimonium Regis in æstimatione morali evadit nobilior: & res non Sacræ nobilitantur per physicū contactum sacrarū Reliquiarū. Hæc opinio est valde probabilis.

677. Resp. probabilius negativè cum Valq. c. 7. Haunold. n. 914. probatur: si merita nostra evaderent digniora præmio ex meritis Christi, hanc vim haberent, vel à gratia collata per Christum, quod hæc sic collata sit majoris dignitatis, quam si esset à solo Deo sine meritis Christi, vel ex ipsa persona Christi, quatenus merita justorum dignificata à gratia collata per Christum reputantur moraliter esse merita Christi: sed ex neutro capite evadunt digniora præmio: non ex primo, quia tam gratia habitualis, quam actualis data per Christū est ejusdem naturæ cum ea, quæ fuisset data à Deo siue Christo, æquè enim nos constituit justos, amicos, & filios DEI. Non ex persona Christi, quia vel essent digniora, quod Deus favore meritorū personæ Christi illa acceptaret ad majorem gloriam, vel quia justī moraliter fiunt una persona cum Christo offerente illa, tanquam propria: si dicatur primum, potuisset Deus ultra ipsorum dignitatem tribuere illis majorem gloriam, at per hoc minimè fierent digniora, quam essent posita cum eadem bonitate sine Christo: si dicatur secundum, etiam intentionem non evincitur, quia valor, & dig-

nitas meritorum provenit à persona, à qua ipsa proxime eliciuntur, non autem à persona, cujus intuitu datur gratia merita dignificans, & auxilium adjuvans ad eadem facienda. Non ergo aliter justī fiant unum mysticum corpus cum Christo, & fratres ejus, quam quòd primam gratiam consequamur ex meritis Christi; exinde autem non crecit dignitas ad majus præmium, aliàs justorum opera forent infiniti valoris, si moraliter essent merita Christi in sensu adversariorum. Quod Christus sit nostrum caput mysticum, in nos, quamdiu manemus justī, jugitur influens auxilia gratiæ ad merendum, sicut caput physicum influit in membra virtutem ad motum, & vitis in palmites ad fructus ferendos, non sufficit, ut opera nostra acquirant dignitatem ex persona Christi, sed eam accipiunt duntaxat à persona eliciente. Ita cit. Valq. n. 430. & seq. 2. Per hæc soluta manent fundamenta sententiæ prioris.

678. Quares tertio: an DEUS remuneretur merita justorum ultra condignum, id est, an conferat majorem beatitudinem, quam ipsorum opera mereantur condignè? Negant aliqui apud Valq. D. 215. c. 4. uti nec, quod demerita mitius puniat, quàm condignitas ipsorum exposcit. Affirmat Valq. piè enim credendum est de divina bonitate, quod ex affluentia gratitudinis plus gloriæ adjiciat, quam merita postuler. Dices contra n. 677. ergo est frustraneum Ascetarum consilium, ut nostra opera uniamus cum meritis Christi, & sic unita offeramus Patri cælesti. Respondeo cum Haun. n. 917. illum conjunctionis affectum habere solum vim orationis, quatenus per merita Christi petimus ut eorum intuitu DEUS nobis conferat alia utilia beneficia ad salutem.